














585/A

A xxi. Avi

c gilt
50

complet




5
95

AVICENNAE ARABIS MEDICORVM OB SVCCINCTAM breuitatis copiam, facile principis Quarta fen, primi: de vniuersali ratione medendi. Interprete Iacob Mantino Medico Hebræo.

N



PARISIIS,

Apud Martinum Iuuenem, ſub inſigni D. Chriſtophori, è regione gymnaſij Cameracenſium.

1555.

ANDREAE GRITI, SERENISS. ac excellentiss. Venetiarum Principi, Iacob Mantinus Hebræus secundam optat fortunam.



Nter eos qui hactenus Arabice de medica arte scripsere, serenissime princeps, clarissima omnium confessione primus Auicennæ gloriæ locus attributus est. Nam licet quæ composuit ab antiquioribus, præsertim Græcis, copiosissime ornatissiméq; tradita fuerint, ea tamen omnia doctissimus ipse fœlici breuitate in mirificum redegit ordinem, ita vt eo docente multo facilius quàm aliis omnibus, ea quæ ad medendi rationem pertinent, percipi valeant. Quare velut lege quadam sancitum est, vt in publicis gymnasiis, Auicennæ opera maxima animorum satisfactione legantur, eiúsque libri plurimos expositores habuerint, quod non itidem cæteris obtigisse videmus. Sed quoniam Auicenna in scribendo, gentilitio ac sibi peculiari, arabico idiomate vsus est, quod à Latinis hominibus non ita facile comparatur, eius operum traductio maximis ac multis erroribus scatet, quos Andreas Beluensis ætatis

nostræ

nostræ medicus insignis, & Arabica Latináque lingua pariter eruditus, magna ex parte laudàbiliter emendauerit, alieno tamen semine campum penitus expurgare non potuit: sed adhuc plurima relicta sunt quæ veluti nebula quadam veritaem lectionis obducant. Quamobrem ego qui nihil magis propriũ hominis esse semper existimauerim, quàm quoquo modo vniuersis vtilitatem cõferre mortalibus, quemadmodum plæraque in varius facultatibus ex Hebraico in Latinnm sermonem cõuerti, ita nũc aliquos Auicennæ commẽtarios aggressus, eos maculis omnibus emendatos, ac quod fieri poßit, absolutissimos latinitate donatos, tanquã euidens animi mei indicium legentibus offerre decreui. qui posquam meam cum aliorum interpretationibus cõparauerint, quid mihi debeant ipsi viderint. Cum autẽ tres potißimnm Auicennæ partes in gymnasiis publicè legantur, videlicet prima pars primi libri, quæ prima fen primi dicitur, & quarta, quæ quarta fen primi nũcupatur, ac prima pars quarti libri, quæ prima fen quarti appellatur, ea omnia in latinam orationem vertere proponens, à quarta fen primi libri interpretari exorsus sum. quia hæc pars maiorẽ cæteris in vniuersali medendi arte vtilitatem afferre videtur, & hanc primo in lucem edere volui. Mox autem, annuente deo optimo maximo, ad reliquas expediendas accingar. Cum vero omnes ferè qui

 aliquod

aliquod literariũ opus in lucem edere meditantur, alicuius patrocinio commendatum emittant, idem mihi facere cogitanti, tua verè serenitas occurrit, quæ tanta est vt quascunque animi tenebras atque perturbationes solo intuitu discutere valeat. quando ea te pulchritudine ac dignitate corporis exornari contigit, vt nemo te conspectior hactenus imperasse credatur, cui animi pulchritudo, cum prudentia, tum cõsilij maturitate, vt effectus ipsi probant, ac omnium moralium virtutum probitas æque respondet, tibíque potißimum duabus de causis, hanc editionem nostram deberi arbitror, vel quia vestro florentißimo studio Patauio à puero fuerim semper addictus, nunc vero præcipue ob egregiam eorum eruditionem qui ibi publice profitentur, vel quoniã respub. cui tu merito præsides, iustius antiquioribus præponenda quàm recentioribus comparãda, ita de me iam merita est, vt omnia illi debeã, omnia optẽ. Ne vero in dicendo sim prolixior quàm ipsa res postulare videtur, has princeps illustriss. tuo nomini dicatas elucubrationes suscipe, tuáq; si opus fuerit, autoritate defende. nõ quòd eas te dignas existimẽ, sed vt mea tibi mens aliquando manifesta fiat, quæ publice ac priuatim huic ciuitati pro viribus inseruire proposuit. Nec tamen gratũ ideo tibi minus me futurum spero, cum qui quod potest dat, omnia dedisse censeri debeat. Vale.

Fen

FEN QVARTA PRIMI LIBRI AVICENNAE, IACOB MANTINO Hebræo Medico interprete.

Fen quarta, de rationum medendi diuisione 31. capitibus distincta.

Caput primum fen quartæ, sermo vniuersalis de medendi ratione.



Vrationem aliquo trium perfici dicimus: vel regimine & ipso victu, vel medicaminũ vsu, aut manus artificio, quod chirurgia appellatur. intelligo autem per regimen vsum causarum necessariũ, quæ iam iuxta communem consuetudinem enumeratæ sunt, in quibus victus ipse continetur. Iudicia autem regiminis, si eorum qualitatem spectes, similia planè sunt medicaminum iudiciis. Verũ inter hæc, ipsa victus ratio, quoad quantitatem, iudicia sibi propria habet. nam quandoque alimentum tollimus, quandoque minuimus, nonnunquam æquamus, & inter-

dum augemus. Aufertur in totum alimentum cum medicus cupit naturã vacare humorum coctioni. Minuitur, vbi ſtudet vt vires alimento conſeruentur: & tum virium curam habet. vel fortaſſe minuitur vt materiæ proſpiciatur, ne ſcilicet natura ſit circa nutrimenti multitudinem impedita. Interim tamen ſemper curę ſit id quod magis vrget, vt quod præſtantius ſit, nempe vires ipſæ, præſertim ſi admodũ imbecilles fuerint. Cæterum alimentum dupliciter minuitur, quantitate, aut qualitate, aut ſi liceat tertium ex his duobus conſtituere modum, potes. Intereſt autem inter quãtitatem, & qualitatem. quoniam interdum alimentum eſt multum in quantitate, parum nutriens tamen: vt ſunt olera & fructus. multiplicare enim hæç, eſt multiplicare quantitatem alimẽti, non eius qualitatem. Et quandoque alimẽtum eſt exiguum in quantitate, multum tamẽ quoad nutritionem: vt ſunt oua, & teſtes pullorum gallinaceorum. Nos autem quandoque qualitatem minuere, quantitatem verò augere cogimur: vt cum appetitus ad cibum vehemẽs fuerit, & in venis humores crudi fuerint, vbi nos huiuſmodi appetẽtiam replendo vẽtriculum ſedare curamus, illúmque humorem exuperantem à venis arcere, vt ſi quid eſt in eis primo concoquãt. aliíſque rationibus

præter

præter has, id facimus. Nõnunquam etiã qualitatem augere, quantitatẽ verò minuere debemus: vt cũ vires roborare cupimus, ſed ipſa natura ventriculi imbecillior redditur, vt ad cõcoctionẽ pleniorẽ ſe validã reddere nequeat. Minorare autẽ vel auferre alimẽtũ quęrimus, cũ morbos acutos curamus. nam etſi in diuturnioribus victũ quoq; minuamus, minus tamẽ quàm in acutis. quoniã vires magis obſeruamus in morbis diuturnis, cũ horũ iudiciũ ac vigorẽ ſatis diſtare nõ ignoremus. quod niſi fieret, nequaquã poſſet vſq; ad tẽpus iudicii virtus cõſeruari: nec durãte diu tẽpore cõcoctionis, cõcoquere quidẽ poſſet. At acutorũ morborũ iudiciũ propinquũ eſt, ita vt ante eorum vigorẽ vires admodũ diſſolui nõ dubitemus. Vel ſi id timuerimus, non tamen vſque adeo alimentũ minuemus. Cúmque ægritudo propinquior fuerit principio, caſúſque mitiores fuerint, tũc ægrũ alemus his, quæ vires fouẽt. Sed quãdo ægritudo proceſſerit in creſcẽdo, caſúſq; ipſi augeſcere cœperint, tũc alimentũ minuemus, cũ quia in noſtro præcedẽti victu, iam intrepide cõfidimus, tum etiã, vt tempore quo virtus certat, eam exoneremus. In vigore autem cõſiſtendi, victum in extremo attenuare ſtudebimus: & quãto morbus acutior, eiúſque iudiciũ propinquius fuerit, tanto victum

magis attenuabimus:nisi aliquę superuenerint causæ,quæ nos id agere impediant: vt in particulari nostra cõmentatione id à nobis explicabitur. Alimentum insuper ea ratione qua alit, duo alia habet officia.nempe vel quod cito penetrat,vt vinum:vel tarde,vt assata,& tosta.ad hæc, aut quod id quoq; sanguinis quod ex eo generatur, est crassæ ac tenacis substantiæ,vt est alimentum carnis porcinæ & vitulinæ:aut tenue & facile aptum dissolui,vt est id quod ficubus vinóque constat. Alimento igitur quod cito penetrat indigemus, cum vitalẽ virtutem deficientem subleuare,eámque excitare desideramus, vbi ventriculus aut virtus non perficiunt concoctionem cibi tardæ concoctionis.Cauebimus autem cibum concoctu facilem, vbi contingat præcessisse alimentum tardæ concoctionis. Timendum enim est, ne illi admisceatur,& ad illum modum iam prius nobis expositum res reuertatur.A crasso vero abstinebimus vbi metus impendet de obstructionũ aduentu. Alimentũ tamen validissimæ nutritionis, tardæque concoctionis eligimus, vbi quempiam roborare,eúmque validis exercitationibus tradere cupimus:sed leue præeligimus alimentum ei, qui in meatuum obstructionem facile incurrit. Vsus autem medicaminum

minum tres continet regulas. Prima in eligenda qualitate ipſius medicaminis conſiſtit: videlicet vel calidi, vel frigidi, vel humidi, vel ſicci. Secunda in quãtitate deligẽda: quæ quidem bifariam diuiditur. nempe vel in menſuram ponderis eius, vel in metiẽdam eius qualitatem, hoc eſt gradum caloris aut frigoris eius, aut alterius id genus. Tertia autem conſideratio eſt ipſe ordo temporis eius. Dirigit itaque nos, ad qualitatem medicaminis ſimpliciter eligendam, cognitio generis morbi. quoniam cognita ægritudinis qualitate, eligendum eſt medicamentum illi ſua qualitate contrarium: cum morbus ſuo curetur contrario, ſanitas vero ſuo ſimili ſeruetur. At menſura quantitatis eius iuxta illos duos modos ſimul cognoſcitur, coniectura artificioſa, ex membri natura, magnitudinéque morbi, & ex his quæ ſua conuenientia, ſeu ſimilitudine id ſignificant, quæ quidem ſunt maris ac fœminæ differentia, ætates, conſuetudo, tempus anni, & regio, & ars, & robur & habitus corporis, atque color. Ad cognitionem autem naturæ membri quatuor ſunt cognoſcenda. nempe membri temperatura, eiúſque formatio, poſitus, viréſque ipſius. cognita enim naturalis membri temperatura ſimul cum mor-

boſæ

bosæ temperaturæ magnitudine, coniectura prorsus cognoscetur quantum quis recedat à suo naturali temperamento, vt sciatur quonã indigeat vt sibi restituatur. vt gratia exempli: si salubre temperamentum alicuius frigidum fuerit, morbus verò calidus, tunc is à sua temperatura magno distat recessu, magnáque indigebit refrigeratione. quod si vtrunque calidum fuerit, exigua refrigeratio satis erit. Cæterum quod ad formationem ipsius particulæ attinet, iam nobis dictum est quot res in se includat: quare recurratur ad eum locum. Hoc tamẽ te scire licet, aliquod esse membrũ quod ex sui formatione habet tam intra se quàm extra faciles meatus, vnde tenui ac mediocri medicamine excrementũ expellitur: aliquod vero aliud non ita se habet: quo fit vt valentius exigat medicamẽ. Est & aliud fungosum, aliud vero densum. Rarum autem, tenue medicamẽ desiderat: densum vero, validiori indiget. Mẽbra præterea, quę validius medicamen postulant, sunt, quæ ex neutra parte cauitatem aut intercapedinem habent: minus autem, quæ in altera tantum parte. Præterea minus, quæ in vtraque parte cõceptaculum obtinẽt, sed sunt densæ astrictæque substantiæ, vt renes. Minus iterũ, quod vtrinque habet concauitatẽ, & est

rarę

raræ ſubſtantiæ, vt pulmo. Per ſitum vero vt noſtri intelligimus, vel locum, vel conſenſum. Notitia igitur communicationis membri tũc quidem maxime tibi conducit, cum aliquod medicamen ad aliquam partẽ trahere, aut reducere decreueris: veluti cauſa exẽpli, vbi materia in gibboſa parte iecinoris cõſederit, eam vrina, vbi vero in caua, aluo euacuabimus: quoniam gibboſa hepatis pars cum membris vrinæ, & eius concaua cum inteſtinis communicationem habent. Notitia vero loci tripliciter opem fert. primo quidem vicinitate vel diſtantia ipſius. nã ſi propinquus fuerit locus, vt ſtomachus, modica medicamẽta ad eũ peruenient, in eundémque agẽt: ſed ſi remotus, vt pulmo, vis profecto medicamẽtorũ mediocriũ remittetur antequàm ad eũ pertingẽt. idcirco multo valentiora pro eo requirũtur præſidia. At ſi vicina fuerit particula, quã medicamentum pertigerit, tunc tanta debet eſſe vis illius medicamenti, quãta morbo ſit oppoſita. Sed ſi ſitus lõgius abſit, ita vt ſi id medicamẽtum eo penetrare debeat, magnã vim penetratiuã requirat: tũc plus æquo vim medicamẽti augere oportebit, vt in emplaſtro coxendicis, & cæteris aliis id genus fieri ſolet. Secundo vero, notitia eorũ quę admiſceri debẽt medicamentis, vt

tis, vt

tis, vt cito ad membrum perueniant: *veluti in* medicamentis membrorum vrinæ, admiſcentur quæ vrinam cient: in cordialibus verò crocus. Tertiò denique, vt ſciatur quomodo ipſi mẽbro admouẽdum ſit medicamen, vt gratia exempli: ſi vlcus in inferioribus inteſtinis inſidere ſcierimus, tum illud clyſteri pertingimus: quod ſi in ſupremis id eſſe coniecerimus, tunc per ea quæ bibuntur.

Nonnũquam adhuc obſeruare locum & cõ ſenſum ſimul ſummopere cõducet, veluti cũ materia iam perfecte fluxerit ad membrum, quid nam agere nos conuenit. vbi verò materia adhuc fluit, quid iterum nos agere deceat. nam ſi adhuc fluat, eam à ſuo auertemus loco, quatuor tamen conditionibus prius conſideratis. Prima eſt ad partem oppoſitam auerſio, quam ἀντίσπασιν Græci dicunt, vt cum ex dextra ad læuam reuellimus partem, ſurſúmque ab his quæ infra ſunt, & contra.

Secundò, ſi conſenſum ſeruaueris, vt menſibus confertim erumpentibus, eos quidem ſiſtes, ſi magnas cucurbitas ſub mammis defixeris, tanquam ad affinem locum reuocans.

Tertiò, pars è regione ſita inſpicienda eſt, vt cum in iecinoris affectibus venã brachij dextri internam (quam baſilicam appellant) incidimus:

cidimus : in lienis verò, ſiniſtram.

Quartò, diſtantia animaduertenda eſt, ne ad locum nimis vicinum reuocemus. At cum materia iam fluxerit, vtrunque horum conducit: nempe quia ab ipſo membro eam excipimus, aut ad vicinam ſociámque particulam reuocamus, & ab illa eam extrahimus. veluti in affectibus vteri venam malleoli (ſaphenam vocāt) incidimus. eam vero quæ ſub lingua eſt in affectibus vtriuſque tonſillæ, ſeu glandulæ gutturis, quas duas amygdalas vocant.

At cum ad contrarium locum reuellere deſideras, primo quidem dolorem illius particulæ, à qua retrahitur mitiga, animaduertéque ne tranſitus fiat per membrum nobile. Notitia præterea virium membri tripliciter confert. Primo quidem inſpicere oportet, an nobile ſit & princeps. nam in his non debemus vti quoad fieri poteſt fortibus medicaminibus, quoniam vniuerſum læderemus corpus. Nec quod ex cerebro aut hepate euacuare oportet haudquaquam ſemel euacuabimus, neque vehementer omnino infrigidabimus. Porrò cum medicamina diſſoluētia hepati emplaſtris ſuperimponere velimus, nequaquam talia apponamus, niſi admixtis ſecum adſtringentibus odoratis, vt virtus cuſtodiatur. iti-

dem

dem agendum est in his quę potu ad id damus. Cor vero inter cætera membra maxime obseruandum. quod ad hoc attinet mox cerebrũ, deinde hepar.

Secundo, membrum quod habet cõmune officium animaduersione dignũ est, & si non sit principale, vt ventriculus & pulmo. idcirco ventriculo existenti imbecilli in feb. vere non licet aquam valde frigidam potu dare. Nec te latere velim, quòd apponere super mẽbra principalia, & quæ eis vicina sunt, medicamina exquisite mollientia, magnum periculum vitæ afferat. Tertio sensus acumen eiúsq; hebetudo haudquaquam negligenda est. nam apponere medicamenta vitiosæ qualitatis & mordicãtia atq; nocua, vt elateria, & id genus alia, super mẽbra neruea, quæ sensus acumen habent, cauendum. Tria adhuc sunt genera medicamentorum à quibus abstinendum est, nempe vel quæ dissoluũt, vel quæ extreme infrigidant, vel quæ oppositas habent qualitates, vt ærugo æris, & cerusa, & plumbũ, & æs vstum, & his similia. Hæc inquam est distinctio medicamenti assumpti ex natura mẽbri. Ad magnitudinem autem morbi reuertendum est. Quicunque igitur gratia exempli, calorem morbosum sui corporis habuerit, extingui

tingui quidem debet frigidiori medicamento. Si vero frigiditas accidentalis eius valida fuerit, calidiori medicamẽto calefacere oportebit. quòd ſi neutrum eorum validum fuerit, ſufficit nobis medicamentum minus validum. Id vero quod ad tempus morbi attinet, ſcire licet, in quonam temporum morbus ſit. vt exempli cauſa, ſi abſceſſus fuerit in ſuo principio, admouenda ſunt quæ repellant tantum: ſed ſi in vigore ſuo cõſtiterit, quæ tantum diſſoluãt. In medio autem iſtorum temporum, permiſcenda hæc ſunt. Quod ſi morbus acutus inter initia fuerit, tunc modice regimen attenuabimus. In conſiſtentia vero, extreme victus attenuandus eſt. At ſi morbus diuturnior fuerit, tum tenui victu initio non vtemur. Apud ſtatum vero, modico victu vti licet. & ſi complures morbi diuturni præter febres, victu tenui ſoluantur. Itidem cum materia ægritudinis multa fuerit, eiúſque caliditas multa, tunc in pricipio euacuare conuenit, nec concoctionem expectabimus. quòd ſi mediocris fuerit, concoquere ac euacuare cõueniet. Indicia autem à rerum conuenientia ſeu ſimilitudine ſumpta, facile poteris cognoſcere. ex quarum genere eſt aer, qui quidẽ maxime cõſiderandus eſt, curationi ne an morbo

vim

vim afferat. Porrò ægritudines periculosæ in quibus si debita vtamur mora, ac minoratione seu alleuatione, nec adhuc simus in tuto de virtutis deliquio, tunc primo à forti curatione incipere consentaneum esse dicimus. Quod si nullum est in eis periculum, tunc sensim ad fortiorem procedendum est, si leuior non suffecerit. Caue præterea ne ab eo quod conuenit agere declines, quanuis impressio tarda uerit. Ne persistas in errore aliquo, & si eius nocumentum non apparuerit. Nihilominus non permaneas in vnico remedio in eadem curatione, sed ad aliud pertranseas: quoniam corpus nō afficitur à re cōsueta. Quodlibet præterea corpus, quodlibétque membrum, immo idem corpus idémque membrum, in diuersis temporibus proprietatem habet, vt posit ab aliquo remedio affici, ab aliquo vero non. Cúmque ignoraueris morbum, cōmitte eum naturæ. nec præcipitanter agas, quoniam vel ipsa natura morbum euincet, vel monstrabit. Cæterum vbi morbus coniunctus fuerit dolori aut causæ doloris vel inferenti dolorem, vt est vulnus vel casus, tunc à mitigantibus dolorem inchoandum est. Et cum vsu soporificorum indigueris, ne pertrāseas, quale est papauer. cum hoc enim quod soporificam vim habet

bet, familiare est. quod si ex vehementi sensu membri lædatur, alatur his quæ sanguinẽ multo crassiorem reddunt, vt frumentum coctum. At si infrigidationem non verearis, cibetur rebus frigidis, vt est lactuca & id genus alia. Porro scias quòd inter cætera remedia optimum est recurrere ad id quod vires tũ animales tum vitales validas reddat, vt est lætitia & occursus rei gratæ: & iugiter vti his quibus gaudio afficitur. immo fortasse iuuabit assidua consuetudo cum viris præstantissimis, & cum his quos reueretur. prohibet enim ægrotũ à rebus quæ nocent ei. Proximum autẽ huic generi remediorum est transferri de regione in regionem, & de aëre in aërem, & de habitibus in alios habitus transmutari, & omni vti conatu vt habitus atque motus exerceat, quibus membrum æquetur, aut alicui temperamento restituatur. vt cum cogimus puerum strabum inspicere oblique in rem splendidam, & qui habet torturam faciei, inspicere speculum chalybis: sic enim faciem suam æquare conabitur, atque oculos, ita vt fortasse tali solertia, reducetur ad correctionem.

Inter cætera præterea quantum poteris cauere debes, ne remediis vehementibus tempore non commodo, veluti ne magna solutione

alui, vel vomitu & abſceſſuum apertione & vſtione, quam καυτήϱιον Græci vocant, tempore æſtatis & hyemis vtaris. Id vero quod in curationibus eximiam requirit cõſiderationẽ, eſt vbi in eodẽ morbo duo concurrũt quæ contraria exigant: vt ſi gratia exempli, ipſa ægritudo aliquid exigat, cuius contrarium tamen eius cauſa expetit, vt eſt ipſa febris pituitoſa. hęc enim ratione ſui caloris refrigerationem, ratione vero materiæ, quæ eſt cauſa feb. calefactionem deſiderat, & contra. itidem vbi morbus calefactionem, & eius accidens infrigidationem poſtulat, vt materia doloris inteſtini coli, quæ quidem calefacientia, aut diſcutientia, vel attenuantia expoſcit, vehemens tamen dolor eius refrigerantia & ſoporifera requirit, & contra. Cæterum te latere non licet, quòd non quælibet repletio, neque quælibet mala temperatura curatur per contrarium, videlicet per euacuationem & per contrariationem, ſeu per oppoſitam alterationem: quoniã ſæpiſſime vſus optimi regiminis, ad repletionem & malam temperaturam adhibiti ſatis ſufficit.

Fen

LIBRI QVARTAE. CAPVT SECVNdum, de medicatione ægritudinum ex malo temperamento ortarum.

SI mala tẽperatura ſine materia fuerit, tunc ipſum temperamẽtum permutare tantum debemus. ſed ſi cum materia fuerit, euacuabimus quidem : & fortaſſe ſola euacuatio ſatis erit, vbi nulla mala temperatura ex ipſa materia, ob eius præcedẽtem infixionem, relicta fuerit. fortaſſe tamen id non erit ſatis, vbi vitioſa temperatura relicta fuerit: immo peracta euacuatione temperamentum mutare oportebit. Ad hæc dicamus quòd mala temperatura variis curatur modis. nempe hæc vel erit iam infixa, & tum eius cura fiet per contrarium abſolute. & hæc eſt abſoluta medicatio. vel erit in fieri, quem quidem corrigit ipſa medicatio facta cũ præſeruatione. Vt gratia exempli, abſoluta medicatio eſt curare putredinem febris quartanæ medicamento, quod ex viperis conficitur, theriacen vocant. & tertianam potu aquæ frigidæ, vt flaua extinguatur bilis. & præcautio eſt vt in quartana veratro, in tertiana ſcãmonio purges, cum per id, principium futuræ acceſsionis vitare intendimus. Cúmque

de aliqua ægritudine ambigis, vtrũ eius causa fuerit caliditas vel frigiditas, & cupis id experiri, nequaquam experiaris re modum excedente, & aduerte ne impreßio per accidẽs facta te decipiat. Scias quoque quòd æquale est tempus, quo fit infrigidatio & calefactio. verum maior est timor infrigidationis: quia calor est naturæ amicus. in humectatione tamẽ & exiccatione æqualis est timor. verum ipsa humectatio longius exposcit tempus. humidũ autem & siccum vtrumque eorum conseruatur à sua validißima causa: permutatur vero à vehementi causa sui contrarij. & calidum quidem adaugetur illis causis, quarum mentio iã à nobis plene facta est. deinceps quæ excremẽta, & repletionem tollunt, & quæ obstructiones recludunt. mox ex eo, quod ipsum conseruat, quod quidem est humidum æquale. frigidum vero validius redditur ob eius validas causas, & ob caloris suffocationem, & per id, quod ipsum vehementer dissoluit: quod quidem est ipsa siccitas per se, & caliditas per accidens. Quicunque autem exuperãtem calorem aperiẽtibus remediis curare velit, ab immodica infrigidatione caueat, ne inlapidescẽtem facultatem, & oppilationẽ addat. ab immoderata quoque calefactione abstinere debet:

bet: quoniam malam temperaturam calidam augeret: sed sensim procedere debet, & primo quæ detergũt, ad id quod infrigidari debet. Si aqua ordei & aqua endiuiæ sufficiat, bene est. sed si id non satis sit, tunc mediocria administranda sunt. Quod si ne hæc quidem satisfaciant, vtendũ est his quæ tenuem habent calorem. intrepidéq; id agere potes. quoniã maius est iuuamẽtum infrigidationis, quod sequitur ex apertione eorũ, quàm nocumentum supercalfactionis ipsorum. quæ quidem facile poterit extingui post reclusionem. Immoderata autẽ extinctio coctionem acrium humorum vetat, etsi nonnulli huic aduersentur sententiæ, cũ ignorent immodicã extinctionem vires deiicere, & præsertim quæ per ægritudinẽ imbecilliores effectæ sunt: & quamuis materia summopere corrigatur, quandoque tamẽ relinquuntur post eam ægritudines, quæ ex mala temperatura frigida immateriali pendent, aut cum materia contraria illi temperaturæ quæ correcta fuit. Porrò frigida tẽperatura cum iam infixa fuerit, videtur quoquo modo esse difficilis calefactionis. in principio vero est admodum facile. verũ infrigidare summe calidã, & si sit difficile, facilius tamẽ est quam calefacere extreme frigidã. Quoniam extre-

ma frigiditas est ipsa mors naturæ, eiq; æquatur. Scias præterea quòd infrigidatio quãdoque adiungitur siccitati, & quãdoque humiditati, nõnunquã vero est expers vtriusque. Exiccatio autem frigiditatem iam factã fouet. humiditas vero eam quæ nunc fit magis inducit. nonnunquam præterea adiuuant siccitatem omnes causæ caloris quæ in extremo fuerint. & nonnunquam omnes causæ immoderatæ frigiditatis humiditatem adiuuãt, neque quicquam adeo efficaciter id efficit, vt ocium & assiduus vsus lenium balneorum & thermarũ. Hoc autem totum iam in prioribus sermonibus notum fecimus. Vinum quoque dilutum eximiam habet vim humectandi. Scire adhuc debes quòd cum senex indiget refrigeratione & humectatione, ad id non est sufficiens id quod ad tẽperiem eum deducat, immo quod ad eius frigidam & humidam temperaturam in quam incidit transeat: & si sit ei accidentalis, est veluti naturalis. Nec te lateat quòd sæpissime quando aliquam temperaturam immutare cupimus, cogimur facere quę eam validiorem reddant, mixta cum re ei contraria. vt cũ cogimur vti aceto cũ medicamentis calefacientibus, ob eorum imbecillem vim, propter quã ad aliquam particulã penetrare nequeunt.

queunt. itidem cogimur vti croco in medicamentis infrigidantibus cor, vt ad ipſum perducat. Multoriens adhuc aliquod medicamẽ habet validiſsimam vim permutandi aliquam temperaturam,ſed ob eius tenuitatem non adeo immoratur vt ſuum peragat officium:tũc igitur oportet ei admiſcere aliquid quod illud craſsius reddat,detineátque,etſi contrariũ ſuæ actionis id inferat: vt cum oleo balſamino ceram admiſcemus, vel aliud, vt in eo mẽbro tantiſper detineatur dum poſsit fungi officio ſuo.

CAPVT TERTIVM FEN QVARTÆ: *Quomodo & quando fieri debeat euacuatio.*

DEcem ſunt ea quæ rectum adferunt iudicium de euacuatione facienda: nempe repletio, vires, temperatura, habitudines corporis, & accidentia concurrentia. velut ne illi, quem ſoluere vis, acciderit iam ſolutio alui: quoniam in alui profluuio aluum ſoluere periculoſum eſt. ad hæc ætates & tẽpus anni, & aëris conſtitutio, & regiones & cõſuetudo in euacuatione, & exercitia ſeu artes. Hæc inquã ſi contrariũ affirmandæ euacuationis indicẽt, euacuationẽ quidem

prohibebunt. Vacuitas nanque euacuationem omnino prohibet. Itidem & imbecillitas: cuiusuis trium facultatum. Verum quandoque præeligimus debilitatem alicuius virtutis, potius quàm nocumentũ quod sequi posset ex dimissione euacuationis. hoc autem in facultatibus sensus & motus, si confidamus rem periculosam corrigi posse cum acciderit. itidem & in cunctis facultatibus fieri debet. Temperatura præterea calida & sicca euacuationem prohibet. Itidem frigida & humida, quæ caloris est expers, vel imbecillem habet calorem, euacuationem vetat. Calida vero & humida eam satis admittit. Habitus autem corporis idem facit. nam immoderata macilentia & raritas corporis, eam impedit timore dissolutionis virtutis. & ideo cum rexeris aliquẽ imbecillum macilentum, qui multam flauam bilem in sanguine habeat, debes ipsi ea exhibere remedia, quæ vrinã multiplicent, & nõ euacuare ipsum: cibabisque cũ his quæ optimum sanguinem generant, ad frigidum & humidũ declinantia. Sic enim fortasse temperamentum humoris eius corriges. Immo forte roborabis ipsum, & tũc euacuationes tolerabit. Itidem neque sis præceps in ægro euacuando, qui ex vsu habet parum comedere, si euacua-
tionem

tionem euitare potes. Et qui ſupra modũ obeſus, prohibebis quoq; ab euacuatione, timẽs tum ne frigiditas præualeat, tum etiam ne caro venas opprimat, eáſque inanitas claudat & ſuffocetur natiuus calor, aut ad viſcera excrementa exprimat. Accidentia quoque mala vt prõptitudo ad alui profluuiũ (quod διάῤῥοιαν vocant) & conuulſio, euacuationem vetant, & ætates inferiores integro incremẽto, & quę ad terminum vltimi ſenij deuenerint. Tẽpus quoque æſtiuum & ſupra modum frigidum, eam non admittunt. Regio ad hæc meridionalis admodum calida ſatis ei obſtat, cum maior pars medicaminum ſoluentium ſit calida. coniũctio autem duorum calorum intolerabilis eſt. Adde etiam quòd vires ſunt imbecilles, & laxæ, & calor exterior trahit ad ſe humorem foras, medicamentũ vero intrò: & ſic validus accidet tractus qui ad pugnam ducet. Septentrionalis quoque regio frigida eadem vetat, & qui parum eſt aſſuetus euacuari, ab euacuatione etiam prohibendus eſt. Itidem & qui habent exercitia in quibus magna fieri ſolet euacuatio, vt qui balneis ſubminiſtrant, & qui onera ferũt. & tandem in quolibet exercitio laborioſo abſtinendum eſt ab euacuatione. Porrò ſcire debes quòd ex qualibet euacuatione

uacuatione

uacuatione quinque desiderantur. Primum quidem, vt id quod euacuari debet euacuetur, post quam prorsus euacuationem alleuatio subsequatur, non lassitudo instrumentorum, aut caloris irritatio aut feb. diaria: id est ephemera, vel aliquis alius morbus qui subsequi solet, vt intestinorum abrasio per alui solutionem, & vlcera vesicæ per vrinæ euacuationem. nam etsi id iuuerit, eius iuuamentum non percipietur. immo fortasse statim nocebit, donec accidens remoueatur. Secundo inspiciendum est, quò tendat, quoniam nausea vomitu purgatur, & dolor ventris per alui deiectionem. Tertio, vt origo membri sit in ea parte ad quam vergit, sicut se habet interna vena dextri brachij ad iecinoris affectus, non autem capitalis dextra que cephalica nuncupatur. Nam si in similibus errorem cōmiserit, noxam afferet. Membrum autem per quod educitur, ignobilius esse debet eo, à quo vacuatio fit, ne humor ad nobilius tendat. per exitúmque sibi naturalem id fieri debet, vt se habent membra vrinaria ad gibbum hepatis, & intestina ad eius cōcauum. Præterea mēbrum per quod fit expulsio, quandoque est ipsummet membrum, à quo euacuatio facienda est. Sed si in eo fuerit aliquis diuturnus

affectus,

affectus, vel aliqua recẽs ægritudo, timẽdúmque esset ne humores super ipsum transirent, tunc oportebit eos aliò deriuare quod sit cõuenientius. immo quãdoque veremur ne præ dominio humoris in eo ægritudinem pariat: vt si ab oculo ad guttur repelletur. fortasse enim in tumorem anginæ nos ducet. Quocirca in similibus sensim procedendũ est. immo ipsa natura quãdoque simili fungitur officio, & euacuat per insuetam partẽ, cum custodire curet illud membrum quãdo est imbecille. & aliquando id quod natura euacuat à remota oppositáque parte ambiguitatem affert: vt si à capite ad aluum aut crus & plantam pedis, id expellatur. nam vtrum ab vniuerso membro aut ab aliquo eius sinu id fiat, nõ verè scitur. Tempus euacuationis considerare oportet. & Gal. adhuc dicit, quòd in diuturnis morbis expectanda est concoctio, non in alijs.

Quid autem sit concoctio, iam nosti. Post concoctionem autem ante euacuationem exhibenda sunt attenuantia, veluti aqua hyssopi, aut satureiæ, & semina. Verum in acutis quoque morbis, & præsertim quietis, cõsentaneum est coctionem expectare. Sed si mobiles fuerint, tunc conuenientius est euacuationem materiæ accelerare: quoniam læsio quæ

ab eius

ab eius motu prouenit, longe maior eſt quàm quæ ab euacuatione ante concoctionẽ, præcipue vbi humores fuerint tenues, & maxime ſi in capacitatibus venarum fuerint, & non ingrediantur membra. At ſi in aliqua particula humor fuerit detẽtus, haudquaquam moueatur donec conçoctus fuerit, & mediocrẽ ſubſtantiam adeptus: vt ex locis propriis iam noſti. Itidem ſi non fidamus virtutem ſubſtentari vſque ad tempus concoctionis, euacuabimus quidem eum humorem, prius tamen cognita eius tenuitate & craſsicie. Quod ſi craſſius & denſus fuerit, nequaquam eum moueas, niſi prius ipſum attenuaueris. Indicat autem ipſam craſsitudinem nauſea quæ præceſſit, & dolor tenſiuus ſub præcordiis, & ortus apoſtematum in viſceribus. Maxime autem animaduertendum eſt in hac re, ne exigui meatus ſint obſtructi: & poſt hæc omnia poteris aluũ ſoluere ante concoctionem. Quinto vero cõtemplanda eſt quantitas rei quæ euacuatur. quod quidem ad conſiderationem quantitatis materiæ virtutíſque atque accidentium quæ poſt euacuationem remanent, attinet. quoniam ſi accidens aliquod euacuationem ſequatur, minus euacuabimus de eo quod euacuare propoſuimus, niſi ſperauerimus ſuc-

currere

currere illi accidenti quod euacuationẽ subsequitur, vt in conuulsione ex repletione fieri solet. Scias adhuc quòd dupliciter materia euacuatur eradicatúrque à suo loco. vel enim per reuulsum ad contrariam remotámque, vel per deriuatum ad contrariam proximámque particulam. Conuenientius tamen tẽpus, quo id fieri debet, est, dum nulla est in corpore repletio, neque humorum redundantia vllo pacto. Subiiciatur igitur vt à supremis partibus oris alicuius viri immodice sanguis profluxerit, vel ab hæmorroidibus alicuius mulieris, immoderata sanguinis copia effluxerit, cogimur omnino aut ad partem vicinam oppositam reducere: & tunc recte reuocabitur materia, in primo quidem exemplo ad nares, in secundo vero ad locos, menses reuocando. At si ad remotam partem oppositam reuellere cupimus, tunc in primo exemplo per infernas. In secundo vero per supernas venas, & corporis particulas sanguinem euacuabimus. & cum ad remotam partem fit auersio, non debet per duas diametros remoueri, sed tantum per vnam diametrum quæ longinquior sit. nam si materia in supremis partibus dextri corporis fuerit, nequaquam ad infernas sinistri reuocabis, immo ad eiusdẽ

dextri

dextri infernas partes retrahes, quod profectò conuenientius est, aut ad sinistras supremas, si tanta fuerit distantia, quanta inter flexuram & flexuram, dummodo res non sit vt in duabus capitis partibus. Nam si in dextra capitis parte materia insederit, ad infernam non ad sinistram capitis partem trahes. Cæterũ cum ad locum remotum materiam reuellere intẽdis, mitiga prius dolorem loci affecti. sic enim minor fiet tractionis violentia, cum dolor ipse trahat. At cum grauiter trahitur ad locum, ad quem trahere cupis, non properes importune. fortasse enim huiusmodi vrgens infestatio mouebit materiam, eámque attenuabit, & non trahetur, immo ad affectum locum facilius reuocabitur. Nonnunquam præterea satis erit tibi retrahere, & si eam non euacues, quoniam ipsa retractio prohibet materiam conuerti ad membrum, quanuis non extrahat eam. Sola enim auersio ipsa fungitur officio proposito, etsi ea nihil euacues. immo sufficiet tibi si vsus fueris deuinctione oppositorum membrorũ, cucurbitularúmque defixione, aut medicamentis quæ rubificantia vocant: & vt summatim dicã, quibusuis dolorem inferentibus remediis. Materiæ rursus quæ facilius vacuantur, sunt quæ in venis existunt,

ſtunt, móxque in mẽbris, & artubus. Maximâ nanque cum difficultate ex his extrahi atque euacuari poſſunt. nec fieri poteſt quin cum illis aliquid aliud euacuetur. Ad hæc qui euacuatus eſt, nõ debet feſtinare ad cibos multos ac crudos capiendos: quoniam natura eos incoctos trahet. quòd ſi aliqua vi cogimur id facere, id quidem ſenſim ac paulatim fiat, adeo vt ordinate res procedat, & quod corpus ingreditur ſit optime concoctum. Porrò venæ ſectio, eſt humorum æque auctorum propria euacuatio. Sed propria euacuatio, quæ debetur humori ſua quantitate tantum exuperanti, aut ſua qualitate corrupto, eſt aliud à venæ ſectione. Omnis præterea euacuatio immoderata, ſolet, vt plurimum, feb. inducere. Cúmque ex detẽtione alicuius fluxionis conſuetæ aliquis malus ſubſequatur affectus, eandem reuocare euacuationem, curatio vt plurimum eſt: vt ſi aurium ſordis aut narium muci detentio vertiginem induxerit, proculdubio eorum eductio eam tollet. Nec te lateat, quòd minus nocet relinquere aliquod reſiduum humoris, qui euacuatione indiget, quàm exquiſite eum euacuare, vel ægrum eo perducere, vt vires debilitẽtur: quoniam ipſa natura tale reſiduum ſæpiſsime ſoluere ſolet.
Et

Et vbi humor in genere perseuerauerit cōuenienti, ægrotánsque eum bene fert, ne timeas exuperantiã, & fortasse eris coactus euacuare vsque ad animi deliquium. Et si quis vires validas habeat, materia tamen humorũ vitiosorum eius admodũ exuperans fuerit, vberrime euacuari potest. Sed qui vires imbecillas habet, humorúmque malorũ eius materia multa fuerit, tunc sensim eum euacuare oportet. Itidẽ si materia valde hæreat, aut cum sanguine valide mixta fuerit, is semel euacuari nequit: vt fit in coxẽdice & in articulorũ doloribus diuturnis, & cancro, inueteratáque scabie, diuturnísque tuberculis. Scias præterea quòd alui solutio trahit à partibus superioribus, & eradicat ab inferioribus. Expedit igitur vtrique tractui conuenienti videlicet & opposito. conuenit adhuc & post materierũ quietẽ. Et cum materiæ in superioribus partibus fuerint, ad oppositũ trahit, & à loco vbi sunt, eas euellit. Vomitus verò, & attractionẽ & euulsionem opposito modo efficit. Venæ sectio vero, variè se habet iuxta loci varietatem vbi sanguis existit, vt iam nosti. Ille præterea minus euacuatione indiget, qui optimo vtitur nutrimento, optiméque concoquit, & qui regiones inhabitant calidas.

Caput

CAPVT QVARTVM FEN QVARTÆ, *de regulis quæ vomitui & alui solutioni sunt communes, déque modo quo vomitiuum solutiuúmque trahant.*

SI quis alui solutione, vel vomitu vti desiderat, debet suum dispartiri cibum, & quantum vno die sufficit ei, bis idem resumat, variétque cibaria potionésque. fiet enim ex hoc vt ventriculus, si quid in se continet, id súsque déque expellere cupiat. At si cibus nec varius neque super alium appositus fuerit, ventriculus profecto eum tenaciter retinet, eúmque custodit, vehementérque eum amplectitur, præsertim si exiguæ fuerit quantitatis. Qui vero lenem habet aluũ, nullũ horum agere debet. Nec te lateat, quòd qui bono vtitur regimine, non contigit eum indigere vomitu, vel alui solutione, vel aliis similibus. Nam bonum regimen aliquid aliud his leuius desiderat. Immo forte si quis diligens fuerit in hac re, sufficiet ei deambulatio & frictio & balnea. Quod si eius corpus repletum fuerit, profecto huiusmodi viri repletio, vt plurimum ex optimo humore erit, hoc est, ex sanguine. Huic ergo venæ sectio magis necessaria est pro eius purgatione, nõ alui so-

lutio. Porrò vbi necessitas non cogit venam incidere, & aluum soluere, velut cum veratro & aliis fortibus medicamentis, tunc à sanguinis missione inchoandum est. hoc enim est Hip. præceptum in li. de morbis passim grassantibus, & est profecto verum. Itidem si cum sanguine pituitosi humores immixti fuerint, quibus fortasse venæ sectio crassiciem & lentorem addiderit, tũc ab alui solutione inchoãdum est. & vt summatim dicã, cum humores æquales fuerint, præpone phlæbotomiã, deinde euacua. Sed si inæquales, euacua prius excrementum donec æquentur, deinde venam incide. Ad hæc vbi præponenda est sanguinis missio, & aliquis pharmacum præmiserit, paucis diebus expectare debet. At cui recens vena secta fuerit, & euacuatione indiguerit, exhibere ei pharmacum conuenientius erit. Multoties vero exhibere pharmacũ, vbi venæ sectio cõueniret, febrẽ vnà cũ perturbatione introducit. quę quidẽ si adhibitis remediis sedatiuis non sedetur, tunc non ignorabis fuisse necessarium præponere sanguinis missionẽ. Nec requiritur quæ libet euacuatio, ob immoderatã repletionem: immo quandoque affectus magnitudo repletióque secundũ qualitatem non secundũ quantitatem eam exposcit. Sæpissime

adhuc

adhuc aliqua necessitas cogit euacuatione vti, & aliquid eã prohibet, nullóque alio ingenio vti potest quàm inedia & somno atque correctione temperaturæ quã repletio inducit. Cæterũ aliqua est euacuatio qua in præcautionẽ vtimur: vt est illa qua indiget is, qui podagra & comitiali morbo, vel aliis corripi certo tẽpore solet, & præsertim tempore veris. Tunc ergo ante illud tempus debet se præparare, & euacuatione suæ ægritudini propria vti, siue sanguinis detractione, siue pharmacia, & fortasse administratio exiccantium exterius, & exiccatiua medicamina aliquo euacuationis officio funguntur, vt his qui aqua inter cutem laborant, administrari solent. Nonnunquam præterea oportet te vti medicamento simili in qualitate humori euacuando, vt scammonio, cum flauam bilem euacuare cogaris. Tunc igitur ei admisceri debet id quod sua qualitate ei obstet, & vt in solutione conueniat, vel quod non prohibeat eius solutionem, vt sunt myrobalani, malámque temperaturam si quæ orta fuerit ab eo, post illud corrigat. Porrò qui viscerum seu stomachi ac intestinorũ apostematibus laborãt, moleste ferunt solutionem & vomitũ. Quod si hoc indigeant, da eis lupulos, & cartamum,

& aquam polypodii, & caſsiam fiſtulam, & his ſimilia. inquit Hip. macilentos & ad vomitum faciles, purgandos eſſe per vomitum, hoc autem fiat æſtate, vere, autumno, nõ hyeme. Sed qui mediocriter carnoſus fuerit, cõuenientius eſt eum per inferiora purgare. Quod ſi res vrgeat vt vomitu euacuemus, ad æſtatem differre debemus. Cauendúmque eſt ab eo, niſi vbi magna vrgeat neceſsitas. Attenuatio præterea humoris quem euacuare volumus, ſolutioni ac vomitui præponenda eſt. Itidem & meatuum dilatatio, recluſióque. hoc enim fidimus, corpus nullum laborem eſſe paſſurum Cæterum ſcire debes quòd aſſueſcere naturam, vt reddatur lenis & facilis, ad id quod cupis, videlicet ad ventris ſolutionem, vel vomitum, antequam exhibeatur ſolutiuum, vel vomitiuum, eſt regimen proſperum. Ad hæc ventris purgatio atque vomitus, vbi gracilitas ventris adſit, difficilis quidem ac laborioſa & periculoſa. Porrò vomitiuum medicamentum efficitur ſolutiuum, cum vẽtriculus validam habuerit vim, aut vbi poſt vehementem famem exhibitum fuerit: vel ſi ille cui exhibitum eſt ſolutus ſit, vel natura lenis, aut ad vomitum inſuetus, aut quod illud medicamẽtum ſit grauis ſubſtantiæ, facile deſcendens.

ſcendens. Solutiuum vero redditur vomitiuum, ob ſtomachi imbecillitatem, aut immoderatam excremēti alui ſiccationem, aut quia medicamentum id abominabile eſt, aut qui illud ſumpſerit nauſeā patiatur. Cúmque aliquod ſolutiuum medicamentum nihil vel aliquid incoctum ſoluerit, humorem ſoluendum mouet, & eum per corpus diſpergit, corporíſque dominatur, & alij humores in eũ conuertuntur, & talis humor in corpore multiplicatur. Eſt pręterea in corpore aliquis humor qui facile vomitui conſentit, vt plurimũ, ſicut flaua bilis: aliquis vero cum difficultate, vt atra bilis: quidā vtrunque habet, vt pituita. Ad hęc febriens alui purgatione potius quàm vomitu vti debet. qui autem humorē habet deorſum deſcendentem, vt qui leuitate inteſtinorum, quam lienteriā dicunt, laborat, prohibitus eſt ei vomitus. Porrò inter cætera medicamina ſoluentia illud certe deterius eſt, quod tēpore ſolutionis, ex medicamentis maxime diuerſis conſtat. quoniā ſolutio perturbatur, & primũ antequam ſecundum ſoluet, & forte primum ſubſtantiam ſecundi ſoluet. Quicunque præterea ſolutioni alui vel vomitui ſe committit, cum purum habeat corpus, impoſsibile eſt, quin & capitis vertiginem, ventríſque tormi-

na atque inquietudinem patiatur. & quicquid euacuabitur ab eo, id prorſus maxima cũ difficultate purgabitur. & vt vnico verbo dicã, quotieſcunque ſolutiuum medicamẽtum excrementa expurgat, nulla conſequitur ipſum perturbatio. Sed cum inceperit perturbatio, id profectò aliquid aliud quàm excrementum euacuat. Cúmque humor, qui per vomitum vel aluum euacuandus eſt, in alium conuertatur humorẽ, corpus profectò indicat eſſe expurgatũ ex illo humore, quẽ euacuare deſideramus. Sed ſi in abraſionẽ, & quid nigrũ fœtidũ vertatur, tunc malo eſt. Præterea vbi ſomnus poſt ſolutionem inualuerit, ſignificat corpus eſſe exactè purgatũ per talem euacuationem, & contuliſſe. Nec te lateat, quòd ſi poſt ſolutionem vel vomitũ ſitis inualuerit, quod perfectam ac exquiſitam optimámque purgationẽ ſignificat. Scias adhuc quod ſolutiuum medicamen ſoluit vi tractiua, qua ipſum & humorem trahit, & fortaſſe trahit craſſum humorẽ & tenuem relinquit, vt quod atram bilẽ ſoluit efficere ſolet. nec rectè locutus eſt, qui dixit illud medicamen generare id quod trahit, vel quod tenuius primo trahat. Tametſi Gale. ſententia hæc ſit. abſolute tamen dicit, quòd illud ſolutiuũ, quod nullã habet beneficam

cam vim, si non soluerit, sed in nutrimentum conuertatur, generat humorem quem trahit. sed hæc sententia non est omnino probanda. Verum, vt ex sententia Gal. colligi potest, videtur ipse censere quòd inter medicamentum trahens, & humorem tractũ sit quędam similitudo in substantia, & ideo trahit. quæ quidẽ sententia non videtur veritati conformis.

Nam si tractio fieret per similitudinem, ferrum certe ferrum traheret quando *illi* dominaretur, & aurum itidem aurum attraheret, vbi sua quantitate illi præualeret. Veruntamẽ huius inquisitionis finis, ad aliũ quàm ad medicum pertinet. Secundũ adhuc est quod attractio humorum, quæ fit per potionem solutiui medicaminis, vel vomitiui, per easdem fit vias, per quas pulsi fuerunt, donec ad intestina & ventriculum perueniant. ibíque natura mouetur vt foras propellat. Raro tamen accidit vt per potionem solutiuam ascendant ad stomachum. quod si ascenderint, ad vomitũ quidem euocabuntur, duabúsque rationibus non fit ascensus ad stomachum. Prima, quia solutiuum medicamentum cito penetrat ad intestina. Secunda vero, quia tempore potionis pharmaci solutiui, natura festinat expellere ex venis, mesaraicis nuncupatis, deorsum

non ſurſum. Eſt enim id & propinquius atque facilius. Adde etiam quod ſubſequentia, ea quæ præceſſerunt impellũt. hoc autem maxime mouet naturam ad expulſionem per propinquiorem viam. & ſi medicamen haberet vim tractiuam non coniunctam ipſi humori, tũc vis naturæ expultricis deberet magis præualere in corpore ſano ac robuſto. Accedit ad hoc, quia medicamen trahit illum ad propriã viam. At vomitiuum medicamen contrario modo ſe habet. nã cum in ventriculo eſt, inibi moratur, & humorem trahit ad ſe ex inteſtinis, ſuáque vi & reſiſtentia naturali virtuti dominatur. Scire adhuc debes quòd maior attractio humorum, quę fit per medicamentorum ſolutiuorũ tractum, eſt in venis, niſi valde vicinum extiterit: tunc enim ex eo & in venas & nõ venas humor trahitur, vt in humoribus qui in pulmone ſunt fieri ſolet. hi enim per viciniorem viam trahuntur ad ventriculum & inteſtina, quanuis non permeant per venas. Itẽ ſcias quòd ſæpiſsime exiccatio quæ fit cum medicamentis exiccantibus, eſt cauſa euacuationis humiditatum à corpore, vt in aqua inter cutem fieri ſolet.

Caput

CAPVT QVINTVM FEN QVARtæ, *sermo de purgatione & eius regulis.*



Am ante à nobis traditum est, oportere corpus præparare ad recipiendũ solutiuum medicamen, antequam exhibeatur, amplificatione meatuum, lenitionéque alui, & præsertim in frigidis affectibus. & vt summatim dicam, ante ventris solutionem lubricum facere est optima regula, in qua maxima fiducia habenda est, præterquàm in his qui admodum parati sunt ad alui fluxum. In his enim nihil tale agendum est. quoniam immodici profluuij periculum esset. Horum ergo solutiuo medicamini admiscendum est aliquod vomitiuum, ne festinet descendere à ventriculo antequam perficiat officium suum. immo æquetur in eo vis vtriusque medicaminis, & solutiuum agat suam actionem, vomitiuúmque suo fungatur officio illi opposito. Cæterũ balbutientes sunt fluxui ventris expositissimi, ideoque fortissimum medicamen solutiuum non ferunt, & vt plurimũ eorum solutio prouenit ex fluxionibus capitis. Periculosum præterea est sumere pharmacum solutiuum manentibus siccis excrementis in intestinis, sed debent prius educi siue clystere siue

aliquo

aliquo lenitiuo iure. Vti etiam balneo ante ſolutiui pharmaci potionem per aliquot dies, eſt ex præparatiuis remediis præſentaneis, niſi aliquid impedierit. Sed inter balnea & pharmaci potionem exiguum debet intereſſe interuallum, nec poſt pharmaci hauſtum debet balneum ingredi, quoniam materiam ad exteriora euocat. Conueniret tamen vbi alui fluxionem ſiſtere curaremus. Sed hyeme nihil inconuenit primam domum balnei ingredi, vbi eius calor haudquaquam poſsit trahere, ſed lenire. & vt verbo dicam, aër, vbi verſatur qui pharmacum ſumpſerit, ad exiguam caliditatem declinare debet, ne ſudet neque moleſtia afficiatur. hoc enim inter ea quæ præparant numeratur. Itidem & frictio & inunctio ex oleo præparatiuum eſt remedium. At qui pharmaco non fuerit vſus, neque ipſum potauerit, nequaquam debet medicus exhibere ei medicamina vehementer ſoluentia. Qui vero repletione tenentur, humoribúſque glutinoſis ac tentione in præcordiis laborant, & qui in viſceribus inflãmationem & oppilationes habuerint, nulla eſt eis exhibenda potio, donec id lenientibus alimẽtis, balneo, oció-que, & dimiſsione rerum quæ moueant & inflamment corrigatur. Porrò qui aquas ſtagnales

gnales bibunt,ac lienoſi, fortia deſiderãt pharmaca. Adhæc ſi quis validum hauſerit pharmacum, ſatius erit poſt illud dormire anteaquam operetur, quoniam tũc melius ſuo fungetur officio. Si vero debile id fuerit,ſatius erit à ſumpto pharmaco non dormire, quoniam natura medicamentum id concoquet. Sed cum pharmacum incipit operari, vtcunque fuerit, tutius eſt non ſuperdormire, neque debet moueri ſuper potionem pharmaci, ſed quieſcere vt ipſum natura amplectatur agátque in ipſum. nam niſi in ipſum agat, id in naturam non aget. Odorare tamen debet quæ nauſeam prohibent, vt mentam, & rutam,& apium,& citonium,& terram lemniam roſacea aqua reſperſam, pauco addito aceto. & ſi ob odorem pharmaci renuat illud haurire, claudat nares. Debet præterea, qui à medicamento abhorret aliquid tarcon (quod pyrethrum à nonnullis eſſe creditur) mandere, vt oris facultatem ſtupidam reddat. Quod ſi vereatur ne medicamentum euomat, extrema deligere debet, & poſt potum ſtatim aliquod habens adſtringendi vim ſumat. Cæterum his quandoque medici catapotia melle obuoluũt, nonnunquam melle, vel Zuccharo decoctis, adeo vt indumento quodam oblinantur.

Eſt

Est quoque conueniens industria ea cera *liniri*. Ex industria adhuc est implere os aqua, vel aliquo alio, deinde catapotia, vt sunt, deuorare, aut aliqua alia industria vti, totúmque id ita deglutiat, ne à medicamine quis afficiatur. Decoctum autem debet tepidum potari. Catapotia vero cum aqua tepida deglutire licet. Ad hæc qui pharmacum haurit, ventriculum atque pedum plantas calefacere debet, & statim ipsum sumere. Sed postquam animus quieuerit, ambulet, ac sensim moueatur. quoniam huiusmodi motus satis iuuat, paulatímq; aquam calidam hauriat: quantitatem tamen, qua nec medicamẽtum soluat, neq; ipsum educat, eiúsque vim hebetet, nisi vbi vrgeat necessitas fluxionis alui detinẽdæ. Potu adhuc aquæ calidæ euitamus læsionem pharmaci. Præterea qui calidi temperamenti est, debilísque constitutionis, & imbecillis vẽtriculi, & vult pharmacum sumere, debet antea bibere, quale est aqua ordei, vel vinum granatorum: & vt summatim dicam, aliquod alimentũ tenue facilísque concoctionis vẽtriculo præponat. At si nõ ita se habuerit, satius est vt ieiunus pharmacũ hauriat. Porrò qui æstate soluitur, febrem incurrit. Et qui pharmacum sumpsit, non debet comedere neque bibere donec pharmacũ

ſuum perficiet officium, neque poſt eius ſolutionem dormire licet, niſi fluxum ſiſtere volet. Et ſi eius ventriculus non ſuſtinuerit inediam, eo quòd bilioſus ſit, faciléque ad eum bilis cõfluat, aut quia iam diu præcautione inedia vſus fuerit, tum debet exhiberi ei panis pauco vino maceratus, poſt pharmacum, ante purgationem. hoc enim fortaſſe adiuuabit pharmacum. Nec anum aqua frigida, ſed calida abluere debet. Quidam dixerunt quòd catapotia deuoranda ſunt cum aliquo decocto eorum naturæ reſpondente, vluti catapotia quæ flauam purgant bilem, deuoranda ſunt cum decocto fumiterræ, & quæ atram, cum decocto epithymi & filiculæ, & id genus aliis, & quæ pituitam educunt cum decocto centaurij. Cæterũ cum aliquod corpus ſiccũ duram habens carnem aliquo forti medicamine euacuare volueris, vt veratro & id genus aliis, valida humectatione prius vtendum eſt, cibis ſcilicet pinguibus. Tandem fortia medicamenta purgatiua magnum minitantur periculum, vt eſt veratrum. corpori nanque integro conuulſionem adfert, plethorici vero corporis humores motu periculoſo commouet, & ſimul ad inteſtina trahit, quod nauſeã excitat. Cúmque maximum infertur nocumentum ex potu

alicuius

alicuius lactariæ herbæ venenosi generis, quæ tithymalli vocantur, vt est daphnoides, quam laureolam vocamus, vel pityusa, quam cebram Mauri appellant, id nocumẽtum lac acetosum tollit adstringítq;. Sæpissime prĕterea medicamen dimittit odorem in vẽtriculo, ita vt videatur ipsummet inibi remansisse. cui remdio quidem est farina ordei tosta, ob eius detersionem. nihil enim inter omnia quæ bibuntur melius est. Cúmque iam diu pharmacum sumptum fuerit, nec dum operari cœperit, tum si fieri potest vt ipsum euomat, & nihil moueat, fiat. Sed si aliquid obstet, satius erit traiicere aquam mulsam vel eius syrupum, aut aquam in qua nitrum sit dissolutum, vel glandem supponat aut clysterẽ infundat. Causæ autem impotentiæ pharmaci sunt vel meatuum angustia à sua formatione, aut ob temperaturam, aut ex morbi vicinitate. nam qui resolutione quam paralysim vocant, & stupore attonito, quem apoplexiam dicunt, capiuntur, adstrictos habent meatus, quibus medicamina debent transire ad illorũ humores, & ideo illorum solutio imbecillior redditur. Porrò duo medicamẽta solutiua eodem die porrigere vt metu plenũ est, ita alienum à ratione. Quodcunque etiã pharmacum quod est proprium alicui humori, si

eum non inuenerit perturbabit quidem, & cũ difficultate soluet. idémq; efficiet si eum in suo contrario immersum inuenerit. Cæterũ omne pharmacum soluit primo humorem sibi proprium, deinde eũ qui magis exuperat, tenuiórque est. itidem & reliquos iuxta hunc ordinem, præter sanguinem, quem quidem natura postponit atque custodit. Attrahere præterea humorem distantem difficile est. Adhuc si quis vereatur ne à pharmaco hausto superueniat ei inquietudo, & nausea, is quidem duobus aut tribus diebus ante pharmaci vsum debet vomitum citare cum decocto radiculæ, eiúsque esu. Neque salis copia in eduliis vti debet qui purgationem desiderat. Cæterum sæpissime cum pharmacũ non soluit molestiam, nauseam, animi deliquiũ, tremorem cordis, tormináque adfert, aut sudorem, sæpiúsque cogũtur ipsum euomere. Quãdoque tamẽ sufficit sumere quæ habent vim adstringendi. Potus quoq; aquæ ordei tollit eius læsionẽ, detergítque quicquid intestinis adhæret. Et qui frigidæ est temperaturæ, cuius humoribus pituita præualet, post pharmaci assumptionem eiúsque operationem sumere debet nasturtium, aqua calida elotum cum oleo. At si calidi fuerit temperamenti, sumat psyllium ex aqua frigida & oleo violaceo

&

& zuccharo albiſſimo, & Iulep. Sed qui moderatam habet temperaturã, ſumat ſemen lini & qui abraſionem inteſtinorum timet, armeniæ glebam, quam lutum armenum vocant, ex vino granatorum ſumat. Porrò his enarratis à purgatione vtendum eſt, ni eam ſiſtere velis. Cæterum ſi febris quempiam à pharmaci potione inuadit, nihil melius aqua ordeacea. Syrupus vero acetoſus inteſtina deradit. poſtponi ergo debet, in ſecundum aut tertium diem, donec inteſtina ſibi reſtituta fuerint. Porrò qui purgatus eſt, balnea debet ingredi die ſecunda. quoniam ſi quid relictum fuerit ex humoribus, id balnea diſſoluunt. Quod ſi balneis oblectetur, ac in deliciis habeat, indicio eſt quòd eum à reſiduo purgabunt: itaque ſine eum. Quod ſi ſcias eum non oblectari illis, ſed potius moleſtari, tum illinc eum auoces. Nec te lateat quòd qui vẽtriculum & inteſtina imbecilla habet, fortaſſe ab ipſis medicaminibus, quibus vis purgandi ineſt, facultatẽ ſolutiuam adipiſcetur: taliſque affectus in eo perdurabit, ita vt multis remediis indigeat quo adſtringatur. In ſenibus quoque metuendum eſt de ſolutiuo & eius nocumentis. Præterea ſciendum eſt quòd bibere aquam fructuum poſt medicamina purgatiua, febres, perturbationẽmque inducit.

inducit. Multoties etiam post purgationem venæque sectioné remanet dolor in hepate, quem potus aquæ calidæ tollit. In ortu etiã canis, atq; in frigoribus maximis, non est purgationibus vtendum. Idcirco satius est vere vel autumno pharmacum sumere: autumnus tamẽ ei rei aptior est. Hyemis autem est tempus, quo nix in montes cadit. Ver autem æstas subsequitur. Ideóque nõ sumatur in ea nisi quod tenue. sed autumnus est inæquale tempus. Semper autem non est assuescenda natura ad pharmaca quoties indiget lenitione: quoniam id in vsum conuerteretur, & eius tandem exitus ad perniciem ducet. Pharmacum quoque fortes vires dissoluit, eiúsque temperamentum habet siccum. Post potionem autem debilis pharmaci parum mouendum est, ne eius vis dissoluatur. Inter medicamenta debilia benedicta, numerandæ sunt violæ & zuccharum. Et qui hyeme solutiuo medicamento indiget, vẽtum obseruet austrinum, æstate vero septentrionalem. Aliqui tamen huius contrarium aiunt. Sed id quidem distinguere oportet iuxta varios morbos.

Cúmq; æger debilis indiguerit solutiuo pharmaco, & nihil illud operetur, nequaquam debet is moueri: sed dimittendus est. Multoties præterea ventris solutio morbum exci-

sat, febrémque parit. cui rei fortaſſe venæ ſe-ctio ſat erit.

CAPVT SEXTVM QVARTAE *fen: de immodica alui purgatione, & quando retinenda ſit.*

INter indicia quibus cognoſcimus iã accedere tempus, quo alui purgatio ſiſtenda ſit, eſt ſitis. Quod ſi purgatio perſeueret, & ſitis non euenerit, non eſt cur timeas eam modum excedere. At ſitis nonnunquam accidit non propter multam & immoderatam purgationem, ſed propter ipſum ventriculum. nam ſi calidus vel ſiccus fuerit, vel vtrunque horum habuerit, citiſsime ſitiet. Itidem propter ipſum pharmacum id fiet, vt ſi fuerit calidum exuſtiuum. Itidem & ob ipſummet humorem ſi biliosus fuerit, vt flaua bilis. Propter huiuſmodi ergo cauſas non mirum ſi ſitis acceleret. Quemadmodum ſi contrariæ his cauſæ contingant, nihil à ratione alienum erit, ipſam ſitim tardius ſe offerre. At cum ſitim immoderatam purgationémque nõ modicam videris, tum omnino reprime eam, præſertim ſi nulla cauſarum velocis ac citę ſitis adfuerit. In huiuſmodi enim cum ſitis appareat, haudquaquam differendũ eſt. Et forte id quod expurgabitur,

expurgabitur, tempus quo purgatio abſcindẽda ſit tibi indicabit. nam vbi ex flauæ bilis purgatiuo iam purgationẽ deueniſſe ad pituitam perſpicuum fuerit, tunc exceſſum feciſſe notabis. Maxime vero ſi ad atræ bilis purgationem res peruenerit. Sanguis autem ſolutus maximi periculi maximíque momenti eſt. Cæterum ſi alicui tormina in ventre relicta fuerint, recurrẽdum eſt ad id quod in tractatione de torminibus dictum eſt.

CAPVT SEPTIMVM FEN *quartæ: Quonam pacto corrigendus ſit affectus illius, cuius purgatio modum exceßit.*

PVrgatio quidem redditur immodica, vel ob venarum imbecillitatem: aut quòd earum ora reſerata ſint: vel propterea quòd purgatiuum pharmacum ora earum mordet: vel quia corpus ex eo malam acquiſiuit temperaturam: & ſic de aliis id genus. Si igitur alui purgatio immodica fuerit, tum ſurſum & deorſum extrema deliganda ſunt, incipiẽdo ab aſcellis & inguinibus, & deſcendendo inferius ab eis: exhibendúmque eſt parum medicamenti quod ex viperis con-

ſtat,theriacam vocant, & philonium. & ſudo-
rẽ prouoca, ſi fieri poteſt, ſiue balneo, ſiue va-
pore aquæ calidæ,ſub eius pannis, è quibus ca-
put extollat. & ſi ſudor admodum exuperaue-
rit,propina ei quæ ſtipant. Detergatur autem
aut fricetur rebus aſtrictiuam vim habentibus,
adhibeantúrque ex aquis odoratæ madefa-
ctiones, vt ſunt infuſiones odoratæ, & ſanda-
li,& camphora, & ſuccus fructuum. partéſque
exteriores fricare atque calefacere oportet.
Immo ſi opus ſit cucurbitulæ ignitæ cum ſcal-
pellatione ſub coſtis, ac inter humeros adhi-
bendæ. & ſi neceſſum fuerit, emplaſtrum ex
farina ordei toſti, ac adſtringentes aquas ven-
triculo & viſceribus ſuperimponas. Itidem &
olea adſtringentia, vt melinum & maſtichi-
num. Aër quoque frigidus euitandus eſt. com-
primit enim, ac aluum ſoluit. A calido etiam
aëre abſtinendum: quia vires exoluit. & odo-
ramentis fragrantibus hi cõfortandi ſunt.ſtyp-
ticáque deglutiant. panem quoque exicca-
tum, quem Arabes chahchah, nos biſcoctum
vocamus, vino aromatico deuorent,ſitque ta-
le calidum. & quod iam antea ſumpſerit pa-
nem ex vino granatorum, & genera cibariorũ
ex farina ordei torrefacti confectorum,& cor-
tices papaueris contritas. Experientia quoque
com-

comprobatum eſt, ſummopere valere ſemen naſturtij trium drachmarum pondere, quod prius torreſiat, mox lacte acetoſo ſubagitetur, dog ab Arabibus dicto, coquatur donec coaguletur, deinde potui detur. Cibus præterea debet vim adſtringendi habere, & niue refrigerari, velut eſt vinum, ſuccus vuarum acerbarum, & id genus alia. Ad retinendas etiam alui fluxiones multum valet vomitum aqua calida excitare, extremáque in ea ponere. Quod ſi, gratia exempli, animi deliquio corripiantur, propina eis vinum. & ſi id totum nihil proderit, tandem poteris vti his quæ vim obtinent ſoporificam, & quæ ſunt valentiſsima remedia in tractatione de ſiſtenda aluo cognita. Medicus adhuc debet apud ſe habere paratos tum paſtillos ac pulueres ſtringentes deglutiendos, tum etiam clyſteres, ac eorum inſtrumenta.

CAPVT OCTAVVM QVARTÆ fen: *si quis pharmacum ſolutiuum ſumpſerit & non ſoluerit.*



Vm purgatiuum medicamentum non purgauerit, torminâque ac inquietudinem, capitíſque dolorem, vèrtiginem, pandiculationes, oſcitationéſve intule-

rit, recurrendum eſt ad clyſterem ac glandes notas. bibátque è maſtiche tres drachmas ex aqua tepida. & fortaſſe iuuabit pharmaci operationem aſtringentium potus, veſcíque poſtea citoniis, ac malis, vt quæ & os ventriculi & quod infra eſt comprimere valeant, nauſeámq; ſiſtant, & purgatiui pharmaci motum, qui ſurſum fertur, deorſum reuocent, natúramque roborent. At ſi nihil clyſter iuuerit, maláque accidentia orta fuerint, vt corporis tentio, oculi præeminentia, motus quoque ſuperiora petat, tunc haudquaquam poteris venæ ſectionem euitare. Quod ſi nec pharmacum purgationem fecerit, malíque caſus ſubſecuti fuerint, incidere quoque venam poſtea par eſt. immo etiam poſt duos aut tres dies. nam niſi id fiat, timendum erit ne humores ad aliquas principes partes ſe conuertant.

CAPVT NONVM FEN QVARTAE: *de medicamentis quibus purgandi vis ineſt.*


Vædam ſunt ſolutiua medicamina, quæ admodum vitioſa ſunt: vt helleborus, & genus tripolij, quod turbit vocant: præſertim quod vitioſum eſt & genere croceum. itidem & agaricum, non album neque purum,

purum, sed ad nigredinem decliue. & sicut daphnoides, laureolam dicunt. hæc enim vitiosa sunt, & si quod horum sumatur, mala inde sequuntur accidentia. consentaneum igitur est à corpore quantum possibile fuerit, vomitu aut aluo expelli. & medicamentum quod ex viperis constat (theriacen vocant) remedio exhiberi. & multotiens potio aquæ frigidæ, sederéque in ea, pharmaci malitiam pellit, vetátque anhelitum ab eo corrumpi. quæ omnia ex turbit citrino & putrido inferri solent. ad idem valet quicquid acredinem sua glutinositate & lenificatione atque pinguedine infringit. Nonnũquam præterea adest quædam proportio inter medicamenta & quædam singularia temperamenta, vt scammonium. quod quidem in his qui in regionibus degunt frigidis, nisi in magna quantitate sumatur, exiguam efficit operationem, vt in regione Germanorum. Cæterum in aliquibus corporibus atque regionibus fortasse non oportebit substantiam medicamentorum exhibere, sed eorum virtutem. Porro medicamentis purgatiuis conueniens est adhiberi medicamenta odora, vt per hæc membrorum vires seruentur. ad quod negocium medicamenta cordialia optime valent, cum vitalem spi-

rituum in omni membro confortent. & maior pars horum sua tenuitate & penetratione ad id conferunt. & quandoque coniunguntur duo medicamenta, quorum alterum cito, alterum vero tarde purgat suum humorē, primúmque cum suam compleuerit operationem, iam secundum ad suum humorem vi quadā impulit, ac in ipsum egit, & eius vim hebetauit, adeo vt cum secundum postea suum agit opus, obtusi planè vigoris sit, mouens & non perficiens. Admiscendum igitur est illi aliquid quod eius vim incitet, festinaréque illud faciat: vt zinziber mixtum tripolio (turbit vocant) efficere solet. non sinit enim illud longo torpere tempore. itidem efficit si ea exacte commisceas. Cōtemplari autem debes eas regulas quas de viribus medicaminum simplicium, vim purgatiuam habentium, exposuimus, vbi de vniuersalibus regulis simplicium medicamētorum sermonem egimus. Medicamen adhuc purgatiuum quandoque sua proprietate digerendo, vt turbit, quandoque comprimendo soluit, vt myrobalanus. nōnunquam tamen lenitione, vt genus aërei mellis, quod Arabes siracost vocant. quandoque lubrica operatione soluit, vt succus pulicaris herbæ, quæ psyllion vocatur & pruna. Maior autem pars pharmacorū fortium

tiũ habet quid venenosæ facultatis, & purgat, donec vim inferat naturæ. idcirco corrigi debent iis quæ pellendi venena facultatē habent. quæ theriacalia remedia vocant. Nonnũquàm vero amaritudo, acredo, astrictio, acrimoniáque medicamenti, quam ponticitatem appellant, atque eius acetositas actionem pharmaci adiuuant: præsertim si cum eius proprietate conueniant. nam amaritudo & acredo ad digestionem, acrimonia vero ad expressionem, & acetosa facultas ad incisionem, quæ ad lubricum reddendum præparat. Nec debent simul coniungi cum compressiuis quę lubricent æquis portionibus, ita vt eorum vires inter se æquales sint. immo aliud alio tardius operari debet ita vt, gratia exempli, illud medicamen agat suam operationem antè quàm expressiuum, mox expressiuum superueniat & purget quod lenitiuum leniuit. & seruata hac ratione in reliquis idem fiat.

CAPVT DECIMVM FEN QVARTAE:
Quidnam hac de re alibi quærendum sit.


N commentario nostro de medicamentorum cõpositione, quem Acrabadin inscripsimus, quærēda sunt medicamenta

dicamenta tum purgatiua tum etiam leniti-ua, siue epota, siue inuncta, & id genus alia, ac illorum ætates. In tractatione vero de simplicium medicaminum materia, quærenda est correctio cuiuslibet simplicis medicamenti, & quo pacto eius defectui succurrendum sit, ac qualiter potui exhibendum sit. Catapotia quoque antequàm lapidis duritiem siccitate contrahãt, deuorari debent. Neque ea dum recentia molliáque sunt ita vt hæreãt & lentore suo conglutinentur, deglutire licet: sed cum desiccari incipient, & digitis cedunt.

CAPVT VNDECIMVM FEN *quartæ: De vomitu.*



Vi propter suam naturam minus ad vomitũ duci debent, sunt quidem omnes qui angustum thoracem, vitiosámque respirationem habẽt, sanguineóque screatui parati, & quicunque collum obtinent gracile, & quorum guttur abscessibus facile corripitur, ventriculúmque imbecillum habẽt, atque admodum obesi: his enim alui purgatio debetur. Macilentis vero vomitus magis cõuenit ob eorum biliosam naturam. Qui vero ob cõsuetudinem

dinem vomitum euitare debēt, ſunt quotquot vomitum moleſte ferunt, vel inſueti. nam ſi validis vomitiuis medicamentis ij euomuerint, ocyſsime venæ membrorū reſpirationis ſcindentur, & in phthiſim corruent. At ſi res fuerit ambigua, fiat periculum leuibus vomitiuis. & ſi facile fert, poterit deinceps fortioribus vti: velut veratro & id genus aliis. Verū ſi aliquis, cui vomitus planè prohibetur, ipſum euitare non poſsit, is præparandus, & ad conſuetudinem ducendus eſt. alimenta lenia atque pinguia & fluida ei exhibenda ſunt, & à deambulationibus quieſcere debet, & poſtea vomitus fiat: pinguiáque ac oleaginoſa cum vino bibat: & ante vomitum optima edulia comedat, præſertim ſi cū difficultate euomat. nā fortaſſe nō euomet, natura id recuſante. quod quidē melius eſt bono quàm malo cibo adhibito. cúmque poſt cibum quē pro vomitu futuro aſſumpſit euomuerit, comedere differat, donec fames increuerit, ſitímque mitiget, velut cum ſyrupo de pomis ſine aqua, & abſque iulep, & ſyrupo acetoſo: hæc enim nauſeam incitāt. Cibus quoque qui ei debetur, eſt pullus gallinaceus pręparatus cum iuſculo, quod Arabes adrabagi nominant, & poſtea bibat tres cyathos. Quicunque autem acida præter conſuetudinē

euomuerit,

euomuerit, in pulſu quoque aliquid febris apparuerit, differre debet cibum vſque ad meridiem: antea tamẽ aquam roſaceam calidam bibat. Qui vero atram bilem euomuerit, ſpongia aceto calido madefacta, ventriculo ſuperponenda eſt. Cibus præterea eius qui vomitũ facere decreuit, debet eſſe varius. quoniã ſi vnicus tantum fuerit cibus, fortaſſe ventriculus eum amplectetur, & recuſabit reddere. poſt vomitum adhuc humectatiuum ſatius erit comedere auiculas, & columborum pullos volãtium: non tamen oſſa extremorum eorum, grauia enim ſunt, ac tarde ea ventriculus concoquit. Ad balneas quoque ſe transferre debent. Cúmque vomitiuum medicamẽtum biberint, currere ac deambulare, laboraréve debẽt: mox euomãt, ídque in meridie. Ante vero vomitum debet oculos linamentis adhibitis ligare, ventrémque valde leniter faſcia obuoluere. Et quę ad vomitum parant, ſunt eruca, radicula quæ eſtur, & edulium ex paſta cõfectum, quod itria vocatur, & origanum montanum recens, & cepa, & porrum, & aqua ordei cum ſuo ſedimento & melle, & edulium ex faba confracta cõfectum, vinúmque dulce, amygdalæ quoque ex melle, & id genus alia, & repletio ex pane azymo oleo præparato, & melones, & cucume-

res,

res, eorúmq; ſemina, aut aliquid ex eorum radicibus aqua maceratis contuſis, & ſuo modo dulcoratis: itidem & hermodactylus. Ille autẽ qui vinum vt euomat biberit, non debet poſt paucam eius quantitatem, ſed poſt multam id facere. Zythus quoque, quod phoca Arabes vocant, ſi ex melle poſt balnea bibatur, vomitum atque aluum mouebit. Ad hæc vomiturus non debet ante vomitum fortiter mãdere quæ comedit. Cæterum qui validum medicamentũ vomitiuum bibere cupit, vt veratrum, illud ieiunus bibat, niſi aliquid obſtet, tranſactis duabus horis diei, reddito prius alui excremento. quod ſi pẽna vomuerit, bene eſt. ſi vero aliquãtiſper labores, & ſi id ſatis non ſit, balneum ingrediatur, & penna qua vomitum irritat debet oleo cyperi, Arabes alcannam dicunt, perungi. & ſi exagitatio atque moleſtia inferatur, bibat aquam calidam, & oleum oliuarum, ſiue ſoluat, ſiue non. Ad id quoque conducit calefacere ventriculum, & extremas partes. nauſeam enim inducit. Cúmque vomitiuũ medicamentum iuſto citius operari cœperit, qui euomit quieſcere debet, optimáque odoramenta olfacere, extremáq; madefacere, & aliquid aceti bibere, & mala atque citonia cum pauco maſtiche ſumat. Nec te lateat motũ magis, quietẽ

vero

vero minus vomitum inducere. Eſtas præterea ad vomitum tempus eſt maxime accommodatum. proinde ſi quis corporis naturalem habitum, ad vomitum minime propenſum habeat, eo tamen indiget, æſtate tutius ei conceditur. Remotior quoque terminus à quo vomitus fit, quoad primam expurgationem, eſt ventriculus, etiam ſine inteſtinis. Sed quoad ſecundam purgationem, fit à capite & reliquis partibus corporis. Attractio vero & exquiſita eradicatio, ab inferis fit partibus. Vtilem autem vomitum ab inutili diſcernes, ſi eum alleuatio excipiat, & optima appetentia, atque reſpiratio, pulſus optimus. itidem & aliæ virtutes reſpondeant, & quod à nauſea initium ſumpſit. Solet autem magis vomitus offendere, quem ventriculi morſus vehemēs comitatur, & exuſtio, ſi medicamentum fuerit validum, vt veratrum. quod cum ſumitur, incipit primo effluere ſaliua, deinde ſubſequetur eam vomitus multæ pituitæ, & excretiones. poſtea vomitus fluens vt ſputum. morſus autem atque dolor manent, neque in alios caſus permutantur, prę-ter ipſam nauſeam & eius moleſtiam. fortaſſe tamen venter ſoluetur. mox hora quarta incipiet quieſcere, & ad requiem vergere. Vitioſum autem illud eſt, vbi vomitus nō paret, moleſtiáque

lestiáque augeatur: tẽtio quoque ac oculorum prominentia, & eorum vehemens rubor, sudor exuperans, vox intercepta. nam si quis his afficiatur & non succurratur ei, ad interitum deueniet. Corrigitur autem id clystere & potu aquæ mulsæ, atque tæpidæ aquæ, & oleorum antidoti vim obtinentium, vt est oleum de lilio. & conetur vt vomitus prouocetur: quoniam si euomuerit, non suffocabitur. ad clysterem autem apud te præparatum conuerti debes. Porrò vomitus maximè valet in diuturnis morbis, vt est aqua intercus, & morbus comitialis, & atra bilis, & lepra, & podagra, & coxendix. At licet vomitus multa adferat iuuamenta, morbos tamen nonnunquam pârere solet, vt auditus grauitatem. Nec venæ sectio vomitui coniungenda est, sed in tertium diem differenda, præsertim si in ore ventriculi humor affuerit. Multotiẽs præterea vomitus redditur difficilis, ob humoris tenuitatem. quo fit vt crasſior reddendus sit, sumendo farinam granorum mali punici tosti. Scire adhuc debes quòd si post vomitum excernatur per aluum corruptum excrementum, significatur nauseatiuam satietatem expulsam fuisse deorsum. Vomitus autem post alui deiectionem, significat ex alui accidentibus id fieri. & commodius

dius

dius tempus ad vomitum est ęstas, propter eius raritatem. Valet præterea vomitus ad mēbrorum soporem: nocet tamen oculis. Prægnātem quoque mulierem ad vomitum ne ducas. nam excrementa corporis ipsius nō expelluntur per eum. vomitus autem ac labor eam in perturbatione ducunt: ideo sistatur. Quibuscunque vero aliis vomitus acciderit, opitulandum est.

CAPVT DVODECIMVM FEN *quartæ: Quid à vomitu agendum.*

CVm vomitū quis peregerit, faciem, ac os aceto aqua temperato abluere debet, vt grauedo quæ forte capiti illata est remoueatur, & de mastiche aliquid deuoret ex vino malorum, & cibum ac aquæ potum euitet, quiescereque perseueret, & partes præcordiorum inungat, balneum quoque ingrediatur, ac cito se lauet, & egrediatur ab eo. Quòd si à cibo abstinere non posit, comedat aliquid delectabile, bonæ substantiæ, facilis concoctionis.

CAPVT DECIMVMTERTIVM FEN *quartæ*: De *vomitus iuuamentis*.

IVbet Hip. ſingulo quoque menſe vomitum fieri, duobus diebus continuis, vt ſecundo die ſuppleatur id quod prima deficit, aut difficile fuit, & vt id, quod ad vẽtriculũ tractũ fuit, egrediatur. pollicetur enim Hip. hac ratione ſanitatem conſeruari. Sed malum eſt eum crebrius repetere. Huiuſmodi prętere a vomitus pituitam ac flauã bilem euacuat, ventriculúmque expurgat. nihil enim aliud ventriculũ natura purgat: vt fit inteſtinis, quæ quidem à flaua bile ad ea effuſa purgantur. remouétque grauedinem capiti euenientem, viſúmque acuit, nauſeatiuam ſatietatem pellit, & illi in cuius ventriculum bilis, quæ cibum corrũpit, effunditur, opitulatur. nam præcedente vomitu, cibus repurgatum ſtomachũ reperit. prohibebítque ventriculum ab abominatione rei pinguis, verę́que appetentiæ deiectionem tollet, & ne acuta & acida atque acria deſideret. & confert laſsitudini corporis, ac vlceribus renum & veſicæ. Eſt quoque præſentaneum remedium morbo elephanti, & vitioſo colori, morbóque comitiali à ventriculo prouenĩeti, morbóve regio, ac orthopnœæ, tremori, ac reſolutioni. éſt-

quę remedium efficacissimum illis qui impetigine laborant. Debet autem semel aut bis in mense post repletionem ministrari, non obseruato aliquo statuto circuitu, neq; numero dierum certarum. Vomitus denique magis ei conuenit qui natiuo temperamento biliosus ac macilentus est.

CAPVT DECIMVMQVARTVM
fen quartæ: De nocumentis vomitus qui modum excedit.

SI vomitus modum excedat, proculdubio nocebit ventriculo, cúmq; debilitabit, atque dissoluet. & vt materiæ ad eum tẽdant propensiorẽ reddet. thoraci quoque, ac visui, dẽtibus, doloribus capitis diuturnis, nisi per ventriculi communicationem id fiat, satis officiet. Sed & morbo comitiali, qui ex capite fit, nocet, & non propter inferna mẽbra. Immodicus quoq; vomitus hepar, pulmonẽ, visúmque lædit, & forte aliquas scindet venas. sunt tamen nõnulli qui cito repleri cupiũt, & cum non possunt id ferre, ad vomitũ se conuertunt. quod quidẽ negociũ in pesimas ægritudines diuturnas eos ducet. Debent igitur repletionem cauere, cibúmque ac potũ æquare.

Caput

CAPVT DECIMVMQVINTVM FEN *quartæ: Quonam pacto prouidendum sit casibus qui vomenti accidere solent.*



Væ vomitum prohibent, abundè à nobis dicta sunt. tētioni vero ac dolori sub præcordiis euenientibus satis cōfert calefacere ea fomētis aquæ calidę madidis adhibitis, oleísque leniētibus cucurbitulísq; ignitis. Morsum vero validū qui in ventriculo relictus est, tollit potus iuris pinguis facilis concoctionis, locumque oleo violaceo inūgere admixto oleo ex violis luteis, seu albis, quæ cheiri ab Arabibus nūcupātur, cōfecto ex pauca cera. Sed si singultus accidat, & perseueret, sternutatione ac calida aqua sensim hausta mitigatur. De sanguinis vero vomitu, iā in sermone nocumētorū vomitus egimus. Tentioni vero (quā tetanum vocant) ac morbis frigidis, ac sopori, vocíq; interceptæ, quæ vomitū subsequi solet, succurritur extremorū deuinctione, atque forti frictione, ventriculíq; calefactione ex oleo oliuarū, in quo decocta sint ruta & cucumeres syluestres, qui elaterium dicitur, & potu aquæ mulsæ ex aqua calida. quo remedio vtatur ille qui sopore correptus est, in eiúsque aures immittatur.

CAPVT DECIMVMSEXTVM FEN *quartæ: quid agendum vbi vomitus modum excesserit.*

IS dormire debet, omníque industria somnus cõciliandus est, extremáque deuincienda sunt, vt in aluo sistenda facimus. vẽtriculo quoque remedio est admouere emplastra, vim adstringendi habentia, cõfortantia. At si vomitus immodicus fuerit, & adeo expulerit vt sanguis euacuetur, tunc potu lactis ex vino mixti, quatuor cotylarũ quãtitate (seu sextariorũ) id prohibeatur. nã hoc læsionem medicamenti vomitorij hebetat, sanguinémque prohibet, ac aluũ mollit. Quod si prætere a partes thoracis & ventriculi à sanguine expurgare cupieris ne coaguletur, syrupũ acetosum niue infrigidatum sensim ei propinabis. Et aliquando ad id valet potus succi portulacę ex gleba armena. At si medicamẽ, quod excrementa ventriculi per vomitũ euacuauit, modũ excessisse metuis, alio loco petenda sunt remedia. Vomitoria vero medicamenta, iuxta suos ordines, & quo pacto quodlibet eorum propinari debeat, & præsertim helleborus, ex cõmẽtariis de cõpositione medicamẽtorũ, ac de materia simplicium medicaminum petendum est.

Caput

CAPVT DECIMVMSEPTIMVM *fen quartæ*: De clyſtere.

CLyſter quidem eſt præſtantiſsimum remedium pro excrementis euocandis ab ipſis inteſtinis, ac ad mitigandos dolores renum, & veſicæ, eorúmque apoſtemata, & ad ægritudines inteſtini coli, ac ad trahenda excrementa à membris principibus ſupremis. Verum acres clyſteres hepar debilitant, febrímque pariunt. Valent præterea clyſteres, ad diſcutiendas reliquias, quæ poſt euacuationes relinquuntur. Forma vero clyſteris, & quo pacto fieri debeat, iam in tractatione de dolore colico nobis explicatum eſt. Melior autem ſitus, quo vti poſsit qui clyſterem recipit, eſt, vt ſupinus iaceat, deinde ſupra partem doloris accubet. Tempus vero commodius eſt, quando aër frigidior exiſtit, videlicet, antequam grauedo, moleſtia, perturbatio, ac animi deliquium inualeſcat. Balnei autem natura eſt, humores excitare, eóſque diſsipare. Clyſteris vero, eos trahere qui retenti ſunt. idcirco, vt plurimum, non iuuat præponere balneum clyſteri. Et ſi quis inteſtina habuerit vulnerata, indigeat tamen clyſtere, ſiue propter febrem, ſiue ob aliam ęgritudinem, & timeat ne clyſter

retineatur, is proculdubio debet ſedem ac vmbilicum aliáſque partes circunſtantes milio calido calefacere.

CAPVT DECIMVMOCTAVVM, De linimentis.

INter remedia quæ eſſentiam morbi attingunt, eſt linimentum. quãdoque autem medicamentum ipſum geminas obtinet vires, tenuem videlicet ac craſſam: verùm quæ tenuis eſt, magis deſideratur quàm craſſa. Quòd ſi craſsicies eius tenuitati æquetur cum fiet emplaſtrum, pars quidem eius tenuis penetrabit, craſſa vero retinebitur. acquiritur autem iuuamẽtum per id quod penetrat, veluti ſolet efficere coriandrum, cum fit ex eo & polenta emplaſtrum ad ſtrumas, ſcrophulas dicunt. Emplaſtra tamen linimẽtis ſimilia ſunt: verum emplaſtra ſunt craſſa, tenacia, linimenta vero fluida. Multotiens quoque linimenta admouentur ex fruſtis panni. Cum igitur membris nobilibus, velut iocinori & cordi imponũtur, ſi huiuſmodi pannus ex cruda aloë ſuffitus fuerit, ſummopere iuuabit, viribúſque linimentorum odoratam vim præſtabit, prout res expoſcet.

Caput

CAPVT DECIMVMNONVM FEN *quartæ*: De *embrochis ſeu irrigationibus.*

EMbrochæ quidẽ pręſtantiſsima præſidia ſunt, vbi deſideratur vt à capite & aliis particulis aliquid diſſoluatur, ac vbi neceſſarium eſt temperaturam aliquam permutare. Quod ſi aliqua mẽbra poſtulant irrigationem calidam & frigidam, ſi eò non confluant excrementa, primo quidem calidam irrigationem, mox aquam frigidam admouebis, vt robur illis inferatur. Quod ſi contra res ſe habeat, tunc ab aqua frigida incipiendum eſt.

CAPVT VIGESIMVM FEN *quartæ*: De *venæ ſectione.*

VEnæ ſectio eſt euacuatio vniuerſalis, quę plenitudinem euacuat. & ipſa plenitudo eſt humorum generatio in venis, maior quàm ſua mediocritas expoſcat. Vena autem incidi debet duorum alteri: nempe vel illi qui ægritudinibus obnoxius eſt, in quas corruet ſi eius ſanguis multiplicetur: vel qui in eas iam incidit. horũmque vtrique vel præ ſanguinis exuperantia, vel præ eius

malitia, aut propter vtrunq; vena secatur. AEgritudines vero quas ille paratus est incurrere, sunt coxendix & podagra, si sanguineæ eiuscemodi ægritudines fuerint, dolórque articularis qui à sanguine est. & sanguinis screatus cum accidit alicui, propterea quòd in eius pulmone aliqua venula rupta fuerit, parum admodum conglutinata, quæ quidem scindetur si sanguinis vel minimum augeatur. Ad hæc qui parati sunt incurrere morbum comitialem, & attonitum (quem apoplexiam nuncupant) ac atram bilem ex sanguinis redundantia, & genera anginæ viscerúmque abscessus, atque calidas lippitudines, quas ophthalmias dicunt. Is etiam cui sanguis hæmorroidarum, qui consueuit effluere, suppressus est, ac mulieres quibus menses restricti sunt, venæ sectione indigent. Horum tamen duorum color non indicat necessariam esse venæ sectionem, ob eorũ squalidum, obscurum, colorem, albúmque atque citrinum. Porro qui membra intrinsecus imbecillia ex calida temperatura obtinent, his profecto satius est tempore veris sanguinẽ detrahere, etsi nondum in huiusmodi morbos inciderint. Item percussis, vel alto delapsis sanguis demendus est ad præcautionem, ne in eis apostema oriatur. Adhuc aliquo apostemate laboranti,

laboranti, de quo, ne ante maturationem rumpatur, vereatur, ſanguis detrahendus eſt, etſi venæ ſectione non indigeat, neque vlla adſit redundantia. Scire quoque debes, quòd ſi in huiuſcemodi morbos nondum quis inciderit, timeat tamen ne eis corripiatur, tutius ei concedi venæ ſectionem. Sed ſi in eos iam lapſus fuerit, tum in eorum principio penitus abneganda eſt. attenuat enim excrementa, per corpúſque ea permanare facit, & ſanguini integro ea quoque admiſcet, immo nihil forte opportuni euacuabit, cogétque venæ ſectionem non ſine noxa repetere. vbi vero concoctio apparuerit, & principium atque vigor iam tranſierit, tunc ſi venam ſecare eſt neceſſariũ, & nihil prohibeat, ſecetur. Atqui nec venæ inciſio nec euacuatio eſt facienda in die motus morbi. eſt enim dies qua tum requies tum ſomnus induci debent, in eáque ipſe affectus incitatur. Cúmque ægritudo habuerit iudicia, quæ criſes appellantur, ac longi fuerit ſpacij, haudquaquam debet multa quantitas ſanguinis euacuari. immo ſi fieri poteſt quieſcat: ſin minus, parce fiat ſanguinis detractio: & ſanguis qui per venæ ſectionem detractus eſt, ſuppleatur corpori, ſi poteris, robúrque virium cuſtodias in iudiciorum pugnam. Et ſi quis iam diu non eſt vſus venæ ſe-

ctione,

ctione, & in hyeme lassitudine corporis molestetur, ei profecto vena incidēda est, & sanguis ad virtutem roborandam restituendus. Cęterū venæ sectio, trahendo ad contrariū, aluum valde astringit. Porrò cum ex copiosa sanguinis missione vires imbecilliores redduntur, multi humores vitiosi inde gignuntur. Animi autem deliquium, quod syncope vocatur, accidit quidem initio venæ sectionis: quia quod insuetum est, obuiat: præcedente tamen vomitu id prohibetur. Itidem efficit vomitus factus dum accidit syncope. Nec te lateat venæ sectionē perturbationem excitare, donec quiescat. Dolor adhuc colicus raro cum sanguinis missione complicari potest. Grauidis prætęrea ac quibus menstrua redduntur, non conceditur venæ sectio, nisi magna emergente necessitate: veluti si necessarium sit magnum sanguinis excreatum sistere, si vires cōsentiant. Scire adhuc debes nō requiri semper venæ sectionem vbi adsint signa repletionis prædictæ. immo fortasse erit repletio ex crudis humoribus. & tunc sanguinis detractio valde nocebit. Quoniā si venam secueris, non fiet concoctio, & verendum est ne æger pereat. Ille pręterea in quo atra bilis superat, nihil offendetur si vena ei scindatur, & postea purgatione euacuetur. Sed ipsum

colorem

colorem inſpicere debes,ſub conditione quam dicemus, tentionémque animaduertere.nam ſi tentio per corpus expandatur, ipſa coniectura docebit venæ ſectionem eſſe neceſſariam. Sed ſi ſanguis eius optimus paucus fuerit,& in corpore multos humores vitioſos habuerit, tunc ſanguinis miſsio bonum tollet,& vitioſum relinquet. Sed ſi quis paucum & malum obtinet ſanguinem, & ad aliquod membrum ſe conuerterit, ita vt illud valde offendat, nec à venæ ſectione excuſari poſsit, tum exigua quantitas ſanguinis detrahitur, mox optimo alimẽto refici debet. Deinde temporis ſpacio iterum alia vice ſanguis mittatur, vt vitioſo ſublato optimus reſtituatur. Quod ſi eius vitioſi humores fuerint bilioſi, omni ingenio vti oportet,vt primo ſolutione alui, aut vomitu euacuentur, & quieſcant, omníque ſtudio requies atque ociũ ęgro inducantur.Sed ſi craſsi fuerint humores, antiqui iuſſerunt balneo vti, & aluum ſubducere. Nõnũquàm præterea ante ſanguinis miſſionem, & poſtea ante repetitionem exhibebunt ſyrupum acetoſum,vim attenuandi obtinentem,cum decocto hyſſopi & ſatureiæ.At ſi cogaris venam incidere, virtute exiſtẽte debili ob febres aut vitioſos humores,tunc ſanguinis detractionem in plures vices partiri, vt probauimus,

uimus, ſatius erit. Porro anguſta venæ ſectio virtuti vtilior eſt, verum forte ſanguis tenuis & clarus ex ea fluet, craſſus interim ac turbulentus retinebitur. Latior vero citius animi deliquium infert, & ad purgationem magis facit. ad cõglutinationem vero tardior eſt: commodior autem eſt illi cui vt mundificetur vena ſecatur, atque pinguibus. itidem tempore hyemis latior cõmodior eſt, ob ſanguinis coagulationẽ: æſtate vero anguſtior, ſi ea indiguerit. Cũq; vena inciditur, iaceat ſupinus. huiuſcemodi enim ſitus eſt ad virtutem cuſtodiendam aptior, nec animi defectum incurret. In febribus autem vehementis inflammationis, non eſt venæ ſectio admittenda: nec initio cuiuſuis febris nõ acutæ, neque in diebus circuitus. vbi præterea in febribus conuulſio aſſociatur, raro debet concedi venæ ſectio, quamuis videatur eſſe neceſſaria: quia conuulſio vigiliam atque ſudorem affert, viréſque deiiciet. idcirco relinqui debet ſanguis, qui ſit pro tempore neceſsitatis paratus. Itidem in febribus non putridis, ſi ſanguis mittatur, ſit exiguus, vt pro febrium reſolutione ſanguis promptus dimittatur. Quod ſi febris non fuerit magni æſtus, fuerit tamen putrida, tunc decem illas conditiones prædictas inſpicere oportet. mox venam inſpicias, quæ ſi

craſſa

crassa fuerit, ad ruborē declinās, & pulsus magnus, & figura tumida, & febris in motu suo non fuerit velox, tunc venam incide vacuo vētriculo. At si vrina tenuis vel ignea fuerit, figuráq; ab initio morbi extenuata, caue ne venam seces. Quod si febris illa interpellata fuerit, ac in veram quietem desierit, in illis sanguis mittatur. Rigorem quoque contemplari debes. nā si fuerit vehemens, caue ne venam aperias. inspiceréque debes colorem sanguinis qui egreditur: quoniam si fuerit tenuis, ad albedinem attinens, illico eum retine. Et in vniuersum cauere debes, ne ægroto duorum alterum afferas, vel humorum biliosiorum proritationem, vel frigidorum cruditatem. Cúmque in febre cogimur venam secare, non animaduertas dicta illius, qui dicit eam post quartam diem non habere locum. immo vrgēte necessitate potest admitti etiam post quadragesimum. & hæc est sententia Galeni, quanuis apparentibus veris indícationibus, satius erit eam quam citissime anticipare. Quod si id quod conueniebat neglexeris, tunc quocunque tempore poteris vti venæ sectione, dum modo conueniat vtere ea, consideratis tamen prius illis decem conditionibus iam dictis. Nonnunquam præterea fit venæ apertio & si non indigeas ea, in ipsis febribus,

bribus, vt diminuta materia eam natura superare valeat, ipsa tamen habitudine, ætate, viribúsque vna cum reliquis, cõsentientibus. In febre vero ex sanguine pendente, non potest euitari sanguinis detractio, quæ in principio non exuberans, tẽpore tamen concoctionis copiosa fiat. Sæpissime enim recedit ipsa febris post sanguinis detractionem. In habẽtibus autem temperaturã immodice frigidam, & in regionibus valde frigidis, & dum dolor est validus, & post balneum vires dissoluens, atque post veneris vsum, in ætate quoque minore quatuordecim annorum, euitanda est venæ sectio, quoad fieri poterit. in ætate senij quoque, quãtum fieri poterit, caue ne sanguinẽ è vena mittas: nisi forte in corporis habitu, ac musculorum densitate, venarum amplitudine, earũ plenitudine, ac coloris rubore confidamus. his enim hortantibus tam senioribus quàm pueris potest cõcedi. Iuniores vero parca sanguinis subductione paulatim ad id duci debẽt. At quicũque supramodum sunt obesi, vel macilenti, aut carnis raritatem obtinẽtes, & pituitosi tumidiores, & pueruli, qui sunt sanguinis expertes, his venam incidere; quantum possibile est, caue. & qui diu ægrotauerint, non sine maximo discrimine sanguinem detrahere licet: nisi forte in his sanguinis

nis

nis corruptio id hortaretur. tunc enim poteſt ſanguis mitti. & illum inſpicere debes, qui ſi niger craſſúſq; fuerit, eum extrahe. ſed ſi eũ albũ tenuem videris, claude ſtatim: quoniam maximum periculum afferet. Poſt cibi repletionem quoque cauendum eſt venã incidere, ne humor incoctus ad venas trahatur, loca rei euacuatæ. quod quidem obſeruãdum adhuc eſt vẽtriculo exiſtente repleto, ac inteſtinis excremẽto ſicco concocto, vel ferè concocto abundãtibus. Sed quod in ipſo ventriculo, & ſibi annexis exiſtit, vomitu euacuare ſtudeat: ab inteſtinis vero inferioribus, vt fieri poterit, etiã ſi clyſtere id fiat. Porrò qui faſtidio laborat, caueat venã aperire: ſed differat donec eius ſatietas cõcoquatur. Caueas etiam ne venã incidas eius qui acumẽ ſenſus oris vẽtriculi habet, vel imbecillitatem. & qui generatione bilis in ipſo vẽtriculo infeſtari ſolet, is cauere debet, ne à venæ ſectione incurrat periculũ: & præſertim dũ eſt ieiunus. Eum autẽ qui acumẽ ſenſus oris ventriculi obtinet, cognoſces, quia à rerũ mordicãtiũ deuoratione moleſtatur. Qui vero imbecillũ ipſum habet. eo ꝙ ipſam quoq; appetẽtiã habet imbecillẽ, doloréſq; vẽtriculi patitur. At cuius orificium vẽtriculi bilẽ recipit, vel ſolet ſæpiſsime in eo generari, ex aſsidua nauſea, ac frequentiſ-

ſimo

ſimo bilis vomitu,necnon ex eius oris amaritudine id dignoſcere poteris,ij inquam ſi vena feriatur,nõ habita præcautione prius ad oris vẽtriculi confortationem, maximum incurrent diſcrimen, & forte aliqui eorum mortem ſubibunt. Quocirca ſi quis acute ſentit, vel qui imbecillioris ventriculi eſt, debet ſumere fruſta panis puriſsimi, muſto cocto acetoſo odorato perfuſa. At ſi ea imbecillitas à frigido temperamento proueniat, tunc debes ea perfundere aqua muſcata(quam ſuch vocant Arabes)cum aromatibus, aut ſyrupo de menta odorato, in quo muſcus ingreditur,aut miua muſcata, deinde vena ſecetur. Ille vero in quo bilis generatur, debet vomitum aqua calida liberaliſsime epota prouocare, ex ſyrupo acetoſo.deinde aliquid deguſtare, parúmq; quieſcere, mox venam ſecare. oportet autem vti omni diligẽtia, vt id quod de optimo ſanguine deperditum eſt,reſtituatur, veluti carne ſuper carbones aſſa,ſi robuſtus fuerit: quanuis ſit is cibus ſatis grauis. nam ſi concoquatur, in multum ac optimum conuertetur alimentum. debet tamen eſſe id exiguæ quantitatis.quia venæ ſectio imbecillem reddit ventriculum.porrò quãdoque inciduntur venæ, vt profluuium ſanguinis è naribus,vel vtero,aut ſede, vel ex thorace prohibeatur,

hibeatur, aut ex aliquibus vulneribus, vt ipse sanguis ad oppositam retrahatur partem. hoc enim est præsentaneum remedium. foramen autem debet esse valde angustum, vicésque debent pluries iterari, non tamen eadem die, nisi vrgente necessitate, sed alternis diebus, & qualibet vice minor fiat detractio. & vt summatim dicam, pluribus vicibus sanguinem detrahere satius est, quàm multiplicare quantitatem. Ferire præterea venam, cum non fuerit necessarium, bilem incitat, ariditatémque linguæ relinquit, & alia id genus. cui rei succurrendum est aqua ordei ex saccaro. & si quis sanguinis missionem repetere voluerit, & ex priori venæ sectione nullum conuulsionis nocumentum sequutum fuerit, vel aliud simile, venam manus per longum debet incidere, vt motu artus prohibeatur conglutinatio & dilatetur. Sed si adhuc dubitaueris ne celerrime coalescat, tũc pãnum oleo, & pusillo salis madefactum superponas, qui superligetur. porrò si quum venam aperueris, scalpellum perunxeris, velox quidem conglutinatio prohibebitur. dolórque mitior erit, dummodo leniter oleo vel alio simili superinungatur, aut ipso oleo madefiat, deinde panno detergatur. Dormire insuper inter venę sectionem & iterationem, foramen coalescere

celeriter cogit. Nec obliuioni tradas quod diximus, ſolutiuam euacuationem in hyeme diē auſtrinam deſiderare. idem enim expoſtulat ipſa venæ ſectio. foramen præterea venæ ſectę, delirantium & ſtolidorum, ac eorum quibus noctu tempore ſomnij ſanguis mittendus eſt, debet eſſe anguſtum, ne ſanguinis profluuium inducatur. Identidem cui nō eſt neceſſaria iteratio, fieri debet. Nec te lateat iterationem eſſe tardandam iuxta magnitudinem imbecillitatis. Quod ſi nulla affuerit imbecillitas, eius terminus eſt vna hora. At ſi per huiuſmodi ſanguinis miſsionem intendimus attractionem facere, tunc eius terminus erit vnus dies. Obliqua autem venæ apertio, illi qui eadem die, ea vero quæ per latitudinem, illi qui ſtatim eam iterare propoſuit, conuenientior eſt. Sed quæ per longum fit, magis conuenit illi, qui non eſt contentus vna tantum iteratione: & illi qui per multos dies quotidie vult de ſuo ſanguine aliquid detrahere. & quanto venæ apertio maiorem intulerit dolorem, tanto tardius conglutinabitur. Porrò cum per iterationem vberrima fit euacuatio, affert animi deliquium, niſi forte corpus ad plethoram declinet, aut ille cui iteratio fit, aliquid præaſſumpſerit. Inter venæ apertionem præterea & iterationem, dormire,

excrementa

excrementa cum ſanguine expelli prohibet, cũ humores per ſomnum ad imam partem corporis retrahantur. Inter cætera autem iuuamenta iterationis, vnum eſt videlicet, quod vires illius, cui ſanguis mittitur, conſeruantur, ac euacuatio ei conueniens perficitur. Melior vero iteratio eſt quæ duobus aut tribus differtur diebus. Ad hæc illico à venæ ſectione dormire, laſsitudinem membrorum inducit. Balneum quoque ante venæ ſectionem fortaſſe reddet eam difficilem: quoniam cutim craſsiorem ac leniorem efficit, eámque lubrico lapſui parat, niſi is craſsiſsimum habuerit ſanguinem. Ille pręterea cui vena ſecatur, non debet vnica vice tantum cibo repleri, ſed ſenſim cibari, & in primis tenui victu vti. Neque poſt eam quoque deambulare debet, ſed ſupinus iacere: nec poſt eam etiam debet vti balneo diſſoluente. Et cum ex venæ ſectione manus intumuerit, alterius manus vena ſecari debet, & quantum vires ferunt ſanguinem extrahere. & tumori vnguentum ceruſæ admoueatur, & partes circuniacentes remediis vehementer frigidis liniantur. Si quis præterea abundãtiam humorum habuerit, & ei vena feriatur, ipſa quidem venæ ſectio erit cauſa irritationis illorum humorum, velocíſque motionis ac mixtionis eo-

rum, indigebítque frequenti venæ apertione. Ad hęc sanguis melancholicus frequentem desiderat venæ sectionem, quam statim alleuatio excipit: in senectute tamen aliquas postea inducit ægritudines, vt morbum attonitum, apoplexiam vocant. porrò, venæ sectio sępissime excitat febres: sæpissime tamen putredinem dissoluit. Cuicunque præterea sano sanguis detrahitur, assumendum est id quod in tractatione de vino prædictum est. Nec te lateat, nihil aliud quàm venas vel arterias in corpore aperiri: sed arterias rarius, idque non sine discrimine, ob sanguinis profluuium. & raro generat apostema: & id quidē quum scissura fuerit valde angusta. Verum cum nō timemus sanguinis profluuium arteriæ, summopere iuuat in quibusdā ægritudinibus particularibus propter quas inciditur ipsa arteria præcipuum autē iuuamentum, quod ex arteriæ incisione acquiritur, est vbi in aliquo mēbro ei vicino aliquæ malignæ ægritudines fuerint, quæ à sanguine tenui calido dependent: Si igitur incidatur arteria illi vicina nullo imminenti periculo, tūc summopere opitulari videtur. In manu autem sex venæ inciduntur, videlicet capitalis, quam vocant cephalicam: & media, quam nigram appellant: & iecoraria, quæ basilica nūcupatur: & funis brachij:

chij:& quę inter annularem & minimum digitum intercurrit, quam vocant Arabes sceilen: & axillaris, quæ est ramus iecinorinæ. Sed inter omnes cephalica est tutior. Et quęlibet illarum trium debet supra angulum cubiti brachij incidi, nō infra, neque è regione ipsius, vt sanguis poßit commode egredi quum destillat. Nocumentáque neruorum atque arteriarum tutius euitantur. Itidem de cephalica intelligi debet. Incisio tamen earum per longum tardius conglutinatur: quoniam sunt articulosę. in non articularibus vero res opposito modo se habet. Sed vena coxendicis, ac annularis, & reliquæ venæ debent per longum incidi. Cephalica autem debet incidi infra caput musculi, in loco molliori, & foramen amplum fieri. Nec foramen foramini addatur, quoniam apostema parit. Et si quid erroris committatur in venæ cephalicæ sectione, vt plurimum id non committitur vnica tantum percusione, quantumcunque fuerit magna. Sed læsio ex iteratis percusionibus infertur. Eius vero sectio quæ tardius coalescit, est illa quæ fit per longum. Quod si sectionem te iterare cogitas, dilata foramen. & si non inueniatur, quæratur aliquis ramus partis exterioris brachij. At media vena, ob neruū sub ea existentem periculum minatur. Nonnū-

quàm tamen inter duos neruos iacet: & tunc oportet vti omni diligentia, vt per longum incidatur, eiúsque sectio venã leniter perstringat. & fortasse super ipsam extabit aliquis neruus tenuis instar chordæ intentus: quæ quidem res dignosci debet, & caueri ne percussio eum offendat, quoniam diuturnam sensus destructionem pariet. Atqui neruos crassiores obtinet, is ramus in eo manifestior est. in quo si error cõmittatur, erit maioris nocumenti. quod si error committatur, & percussus fuerit ille neruus, nõ agglutines sectionẽ venæ: sed admoue ei quod conglutinationem cohibeat, & cura eam curatione vulnerum neruorum, de quibus iam in libro quarto fecimus sermonem. Caue præterea ne quod infrigidet, vt est succus solani & sandalum, ei admoueas, sed eius partes totúmque corpus calido oleo perũgas. Venã autem funis brachij satius est in obliquum secare, nisi vtrinque subterfugiat: tunc enim in longum incidatur. Basilica vero maximo cum discrimine inciditur, propterea quòd arteria ac musculi ner uíque sub ea existũt. animaduerte igitur in eius incisione: quoniam si incidatur arteria, vel nullo modo, vel cum maxima difficultate sanguis sistetur. sunt præterea aliqui habentes vtrinque circum basilicam duas arterias, quarum si vna

descri-

deſcribatur, exiſtimatur eſſe in tuto, cum tamen forte ferietur altera. Id autem animaduertendum eſt, & cum ligatur apparebit ibi vt plurimum tumor, vel arteriæ quandoque, vel baſilicæ, ſed vtcunque fuerit, debet ſolui deligatura, tumórque blanditer perungi, deinde iterum ligari. Quod ſi iterum tumor redeat, tu quoque iterum redi ad idem. & ſi id non ſufficiat, non erit inutile ſi baſilicam dimittas, & ramum, qui dicitur axillaris, qui ad internam partem brachij infra exiſtit, incidas. multoties quoque tumor augetur, & multoties ligatura ſedat pulſum arteriæ, eámque eleuat & attollit, & pro vena reputatur, & inciditur. cúmque aliquam ligaueris venam, & ex huiuſmodi ligatura appareant ſuper ipſam veluti lenticulæ & cicera, tunc quod de baſilica diximus, idem hic agere debes. Baſilica inſuper quanto inferius ad brachium eam incidas, tanto tutius eſt. Scalpellum autem debet per venam procedere verſus oppoſitam partem arteriæ. & error qui in baſilica committitur, non eſt ratione arteriæ tantum: ſed quia ſub ea eſt muſculus & neruus. & eorum cauſa error cõmittitur, vt iam pauloante diximus. Iudicium vero quo dignoſcere poſsis errorem fuiſſe cõmiſſum in baſilica, & fuiſſe percuſſam arte-

riã, est, quia sanguis tenuis egreditur, flauus, & quodam veluti saltu eiaculatur, leníque ac demisso quodam tactu. & tunc debes celeriter aliquid in foramen intromittere, velut pilos leporis ex aliqua portione thuris in puluerem redacti, & achilleam sideritem, quam supercilium Veneris, & sanguinem draconis vocãt. & aliquid aloes, & myrrhę, & chalcitidis, & mysi, & aspergere cum aqua frigida, quantum poteris: locum autẽ incisionis arcte liga: qua astricta nõ soluatur per tres dies. post tertium vero diẽ adhuc debes obseruare, quantũ poteris, vt emplastra adstringentia ei parti adhibeãtur. Multi tamen sunt qui illam arteriam penitus secant, vt vena conuellatur, & carne cooperiatur, adstringatúrque: sed cõplures ob sanguinis profluuium perierunt. Aliqui etiam ob vehementẽ dolorem ligaturæ, cuius strictura valida quæritur ad prohibendũ fluxum sanguinis arteriæ, ita vt mẽbrum ad perditionem deuenerit, mortẽ subierunt. Nec te lateat, quòd nonnunquàm sanguinis profluuium accidit quoque in venis. Ad hæc scire debes, quòd vena humeralis ex collo & supra ipsum magis, infra vero, minus de sanguine euacuat, nec terminum regionis hepatis ac partium præcordiorum transit, neque de inferioribus partibus aliquid educit,

quod

quod alicuius ſit momenti. Media præterea cō mune habet iudicium inter cephalicam & baſilicam. & ipſa iecinorina euacuat à partibus thoracis, quæ ad inferiora vergunt. Et brachialis ſimilatur cephalicæ. Ea vero vena quā ſceilen vocant, dextra quidem, vt aiunt, doloribus hepatis, ſiniſtra vero lienis conferre videtur. & debet apertio eius tādiu dimitti, donec ſanguis ſua ſpōte ſiſtatur. Manus præterea eius cui vena ſecatur, debet calidæ aquę admoueri, ne ſanguis facile retineatur, dum ſegnius fluit: vt pluribus eorum quibus vena ſceilen ſecatur euenire ſolet. præſtantior autem ſectio ipſius ſceilen eſt, quæ in longum fit. Axillaris vero idem eſt cum baſilica iudicium. Atqui arteria, quæ in manu inciditur, eſt illa quæ ſuper dorſum palmæ exiſtit, quæ inter indicem & pollicem iacet: & eſt præſens remedium hepatis ac ſepti tranſuerſi doloribus antiquis. & Galenus refert ſe vidiſſe in ſomnio virum dolore hepatis laborantem, cui præcepit hoc, & ita fecit, vnde ſanatus fuit. Secatur adhuc nonnunquàm alia arteria, quæ magis hac ad internā partem palmæ declinat, quæ quidem ſimile huic affert iuuamentū Si quis præterea voluerit è vena manus ſanguinem emittere, & non poteſt, nequaquam violentam inuolutionem, ac deligationē

importune

importune agat, neque percuſsionem ſcalpello iteret: ſed ſic per diem vel biduum dimittat. At ſi cogatur percuſsionem iterare, eam quidem ſupra non infra primam iteret. Violenta autem ligatura apoſtema affert. Infrigidare quoque faſciam, eámque ex aqua roſacea vel aqua frigida humectare, ſatis conuenit, & confert. ligatura quoque non dimoueat cutem à ſuo loco, nec ante, nec poſt venæ ſectionem. Valida præterea deligatio, in corporibus macilentis eſt cauſa inanitionis venarum, ac ſanguinis retentionis: ſed in pinguioribus lenta non permittit apparere venas, niſi valida fiat. Quidam quoque eorum qui venam incidunt, ſolent vti aſtutia, vt dolor non percipiatur, ſoporem manui ex forti ligatura inducendo per horam. Nonnulli tamen ſcalpelli aciem oleo perungunt: & hoc, vt paulo ante diximus, dolorem mitigat, cõglutinationémque remoratur. Cúmq; prædictæ venæ in manu non apparuerint, ſed rami earum: tũc manu premi debẽt fricando. Quod ſi ceſſante frictione confeſtim eò fluxerit ſanguis, quod & locus intumeſcat, tunc incidantur: ſin minus, nequaquàm. At cum abluere voluerit, trahat parum cutim vt foramen claudat: mox ſuo loco eam reſtituat. faſcia autem optimè adhæreat. Eſtque commodior quæ in orbem

orbem fit inuolutio, eáque superinuolui debet. Cúmque in foraminis orificio pinguedo apparuerit, sensim intrò reuocari, nec abscindi debet, neque in his est adhibenda diligentia, vt fiat iteratio sine percussione. Huius tamen negocij sententiam adhuc perficiam in calce huius capitis. nam inter loquendum de eo obiter in sermonē incidimus. Nec te lateat sanguinis adstrictionem, incisionísq; ligationem, habere tempus sibi statutum, & si id diuersum sit. nam aliquis & si febriens fuerit, poterit ferre emissionem quandoque quinque aut sex librarum sanguinis: quidam vero & si sanus, adhuc vnius libræ extractionem sustinere nequit. Circa hoc tamen tria sunt cōsideranda, Primo leuitas raritásque sanguinis. Secundo color eius: fortasse tamen faciet maximū incurrere errorem, si primo tenuis ac albus egrediatur. At si signa plethoræ ibi appareant, & res ipsa sectionem venę expostulet, non decipiaris. Quandoque etiam sanguinis color fallit in habentibus aliqua apostemata: quoniā apostema trahit ad se sanguinem. Tertio vero pulsus, quem haudquaquàm negligere debes. Cúmq; sanguinis impetuosus exitus languere cœperit, aut color sanguinis, vel pulsus ipse mutati fuerint, præsertim ad debilitatem, tunc eū retine. itidem si oscitationes

ac

ac pădiculationes nauſeáque acciderint. Quod ſi cito color aut impetus mutetur, recurre ad pulſum, cui adhibēda eſt in hac re fides. Incurrunt præterea facillime animi deliquium, qui calidi ſunt temperamenti, macilenti, & corpore raro: difficilius vero qui temperaturam moderatam carníſque denſitatem obtinent. Dicitur adhuc, quòd qui ſecandæ venæ artem profitetur, debet plura habere ſcalpella, quorum aliqua latiorem, aliqua vero anguſtiorem habeant aciem. Quæ latioris ſunt acuminis, venis quidem fugientibus ac declinantibus maximè accommodantur: vt ſunt venæ iugulares. Is adhuc debet habere pillulam bombacineam vel ſericinam. Habeat quoque inſtrumenta ad vomitum faciendum idonea, ſiue ex ligno, ſiue ex penna fuerint. Nec omittat habere apud ſe pilos leporis & medicamen aloes & thuris, folliculum muſci, & electuarium ac trochiſcos de muſco, ideo vt ſi accidat animi defectus: qui quidem in ſanguinis miſsione maximè timorē affert: immo forte mortem. feſtina igitur tunc intromittere glomum in os ipſius ac vomitum prouocato, inſtrumento illi negocio accommodato, cúmque folliculum odoret. aliquid quoque electuarij aut trochiſcorum de muſco deuoret vt vires excitentur. Quod ſi ſanguinis

profluuium

profluuium ex arteria proueniat, festina replere foramen leporinis pilis medicamentóque aloes. Et raro accidit syncope dũ sanguis egreditur: sed vt plurimum postquàm sanguis stiterit, accidere solet, nisi forte plus iusto effluxerit. In febribus autem continuis ac in initiis attoniti morbi, apoplexiam vocãt, in anginis, magnísque abscessibus interimentibus, ac validis doloribus virtute existenti forti, nõ perterrearis si videas syncopẽ accidere. Sed quoniam inter loquendum de venis manus incidimus, in amplissimam orationem de aliis negociis, adeo vt & venas pedis aliásque omiserimus, ideo iustum iudico ad sermonem vnde digressi sumus redire. Dico igitur inter venas pedis, aliã quidẽ esse coxendicis, quæ in extrema parte malleoli inciditur, siue supra, siue infra ipsum: deligãdáque est pars suprema, videlicet à crure vsque ad foramen, strictéque deuoluenda. satius quoque est eam antea abluere, in longúmque incidere. Quod si obscura fuerit, incidatur aliquis ramus eius, qui inter annularem & minimum digitum existit. Incidere autem coxendicem efficacissimum affert præsidiũ, & præsertim podagræ, varicibus, morbóque elephanti: sed iterare eius incisionem difficile quidem est. Alia vero est ea vena quam saphenam vocant, quæ
in

in interna parte malleoli locata est, & magis quàm coxendicis est euidens. hæc autē ad euacuandum sanguinem à membris, quæ infra hepar existunt, cúmque à supernis partibus ad infernas euocādum inciditur. & ideo menses vehementer citat, orificiáque mariscarum aperit. Porrò licet ratio ipsa dictitet sectionem venæ coxendicis & saphenæ, iuuamentum non absimile præstare, experientia tamē comprobatum est longe efficaciorem esse vtilitatem incisionis venæ coxendicis in dolore coxendicum, & id forte propter eius rectitudinē prouenit. Venæ præterea saphenæ sectio pręstantior est, quę fit in obliquum ad latitudinem vergens. Alia adhuc est vena, quæ in angulo genu existit. nec eius præsidiū est multum dissimile ab eo quod saphenæ. Verum ad mēses ciendos, & sedis, hemorroidarúmque dolores, præstantius quàm saphenæ est remedium. Item est alia vena in postrema parte calcanei sita, quæ est veluti ramus saphenæ, & valet ad ea ad quæ & ipsa saphena. Generatim autem venarum pedis incisio, ad ęgritudines, quæ fiunt ex materiis caput petentibus, ac ex atra bile ortis valet: sed vires magis quàm ea, quæ venarū manus debilitat. Ad hæc venæ, quæ in partibus capitis inciduntur, quas satius est in obliquum incidere, præter iugulares,

tres, guidez Arabes vocant. Inter venosa præterea vasa, quædam sunt venæ, quædam arteriæ. Venarum autem alia est vena frontis, quæ inter duo supercilia insidet: cuius incisio confert dolori capitis, & præsertim in occipitio eius grauediníque oculorum, atque antiquo capitis dolori aſsiduo, cephalæam vocant. Alia vero est quæ super caluariam sedet, quæ hemicraniam & capitis vlcera secta iuuat. Aliæ adhuc duæ sunt, quæ apud vtraque tempora extant reflexæ venæ, ac alię duę in angulis lachrymalibus, canthos vocant, quę vt plurimum non se offerunt, nisi per gutturis suffocatiuam astrictionem, in quibus scalpellum non debet profundius agi: quoniam forte ex oſsis persecutione affectus ille oriretur, quem aegylonem seu fistulam lachrymalem vocant. ex eis tamen exigua quantitas sanguinis distillare solet. Earum autem sectio ad dolorem capitis ac hemicraniam, lippitudinémque diuturnam, quam ophthalmiam vocãt, ad lachrymarum distillationem, ad suffusiones, seu cæcitates, ac ad palpebrarum scabiem, earúmque ortum, & ad nyctilopam satis valet. Aliæ quoque sunt tres venæ exiguæ, quæ vbi desinit extrema pars auris capillis cõiuncta, existunt. earum autem vltima trium euidentior est. quæ in initio suffu-

sionis,

ſionis, & vbi caput recipit vapores, à ventriculo ſecatur: & propterea iuuat ad aurium vlcera, & occipitis, & partis poſtremæ capitis. Galenus autem negat id quod nonnulli affirmant, videlicet, quòd viri continentes ſecant ambas venas quæ ſunt poſt aures, vt virile ſemen illinc abſcindatur. Sunt & aliæ duæ venæ iugulares, quæ in principio lepræ & validæ anginæ inciduntur, & in reſpirandi difficultate, dyſpnœa vocatur, & in aſthmate calido, & in voce rauca, quæ ineſt patientibus pulmonariam ęgritudinem, quam peripneumoniam appellant, & in mẽtagra, ſeu lichene, quæ ex exceſsiuo* colore ſanguinis prouenit, ac in lienis affectib⁹ & præcordiorũ. Et vt paulo ante diximus, huiuſmodi inciſio debet fieri lanceola latioris aciei. ligatura autem debet fieri capite inclinato ad oppoſitam partem ſectionis, vt vena tendatur. Inſpiciendáque eſt ea pars, quę eſt procliuior. cuius quidem pars oppoſita eſt incidenda. & obuolutio debet in latum, non in longum fieri, veluti fit in ſaphena & coxendice: inciſio tamẽ debet in longum cadere. Eſt & alia vena, quæ eſt in extrema parte naſi, quam vocant leporinam, & inciditur parte extrema naſi bifida, quę digito preſſa biſulca videtur, ibiq; perforetur. Sanguis autem qui de ea fluit exiguus eſt, cuius

** rectius forſitan calore.*

ſectio

ſectio valet ad lentigines faciei, obſcuritatémque coloris, mariſcas, exanthemata, ſeu tubercula naſi, ad eiúſque pruritum. verũ aliquando inducit diuturnam rubedinem faciei, quæ ſerpigini ſimilatur, atque adeo per faciem expanditur, vt eius nocumentum maius ſit iuuamento. Venæ vero, quæ ſunt poſt aures ſub oſsibus eminentibus è regione occipitij, Arabes caſaſã ea oſſa vocant, ſi incidantur, conferunt lippitudini, quæ ex tenui ſanguine ortũ habet, ac diuturnis capitis doloribus. Aliæ inſuper ſunt venæ quatuor, quæ ſuper labia iacent, binæ ſcilicet ſuper ſingulo labio: quarum inciſio vlceribus oris ac faucium, alcola Arabes vocãt, necnon gingiuarum earum relaxationi, atque abſceſsibus & hæmorroidibus, earúmque ſciſſuris confert. Sunt & aliæ venæ ſub lingua intra mentum, quæ ad anginas, apoſtemata tonſillarum, ſeu vt vocãt duarum amygdalarum, inciduntur. Reperiuntur adhuc aliæ venæ ſub ipſamet lingua, quæ ad grauedinem linguæ, quæ à ſanguine eſt orta, inciduntur, & per longum incidi debent. nam ſi per latum incidantur, difficile erit ſanguinẽ ſiſtere. Eſt quoque alia vena in ima parte labij, quæ ad oris fœtorem inciditur. Item reperitur alia vena mandibularũ, quæ ad oris ventriculi curationem inciditur.

Arteriarum autem capitis quædam eſt apud tempora, quæ aliquando more aliarum aperitur: aliquando vero tota diſcinditur: nonnunquàm etiam diſtrahitur: quandoque vritur, ídque vt acres ac tenues deſtillationes ſiſtantur fieri ſolet, vt quum oculus dilatari incipit. Sunt & aliæ duæ arteriæ poſt aures, quę ad varia lippitudinis genera, ac principium ſuffuſionis, hebetudinémque oculorum, & nyctilopam, & ad dolorem capitis diuturnum inciduntur, non tamen ſine diſcrimine: earúmq; agglutinatio tardior eſt. Galenus autem narrat quendam fuiſſe vulneratum in gutture, ita vt vulnus eius arteriam attigerit, vnde immodica quantitas ſanguinis effluxit: cui ipſe Galenus ſuccurrit medicamine ex thure & aloes & achilleæ, & myrrhæ. itaque ſanguinẽ ſuppreſsit, dolórque diuturnus quẽ in coxa habebat, ablatus eſt. Ex venis prætere quæ in corpore aperiuntur, duæ ſunt ſuper vẽtrem, quarum altera ſuper regionem hepatis iacet, altera vero ſuper lienem. ea autem quę in dextra, ad aquam intercutim, quę vero in ſiniſtra parte exiſtit, ad lienis affectus inciditur. Nec te lateat venæ ſectionem habere duo tempora. alterum liberum, alterum vero coactum. ex arbitrio quidem eſt, dũ calor diei adeſt, perfecta iam concoctione. violentum vero

ro

ro tempus eſt, dum vrget neceſsitas ita, vt differri non poſsit, omníſque cauſa, quæ eam prohibeat, negligēda eſt. Scias adhuc quòd lāceola non acuta magnum infert nocumentum. quoniam non pertingēdo fallit, & apoſtema atque dolorem parit. cúmque lanceolā intromittis, non impellas eam manu cōprimendo: ſed ſenſim pertranſeundo eam ducas, vt eius extrema pars, cáuitatē venæ attingat. nam ſi pluribus vicibus, id vi iterare conaberis, eius extrema acies occulte diſrūpetur. & ſic vena ſubterfugiet, & nō ſcindetur. Quòd ſi coneris venam incidere, malum addes. Idcirco antequàm venam ferias, & quando percuſsionem iterare cupis, debes experiri in tua cute, quo pacto lanceola ſe habeat. omni prӕterea induſtria conari debes vt vena impleatur, ſanguinéque tumeſcat. Sic enim lubricus lapſus ac receſſus eius minus fiet. Quod ſi vena occulta fuerit, nec repletio ſub digito appareat, tum iterum atque iterum eam ſolue & liga, atque perunge, & deligationem modò ſurſum modo deorſum permuta, donec ſe offerat. ídq; tibi ſuccedet, ſi latitudine extremitatum duorum digitorū locum vbi ſcis venam expādi palpaueris, ita vt quandoque altero digito premas, altero vero ſanguinē è vena eminere facias, ita vt digito, qui permanet fir-

mus, manifeste percipias, & dum eleuatur va-
cuetur, & dum remittitur obseruetur. & inter
vltimam lanceolæ extremitatem & manum, a-
liquantula debet intercipi distantia, ne ad ner-
uum vel arteriam eum penetrare faciat. tutiúsque est vt vena impleatur vbi sit tenuior. lan-
ceola insuper debet pollice & medio digito ap
prehendi, indéxque dimittatur ad tentandum,
ac in medio laminæ apprehendi debet, & non
supra: quoniam non esset recta apprehensio.
Cúmque vena ad aliam partem dimota fuerit,
occurras ei ligatura & apprehensione contra-
riæ partis. Quod si vtrinque dimoueatur indif-
ferẽter, caue ne eam per longum incidas. Scias
adhuc quòd deligatio & depresio debet fieri
iuxta duriciẽ, ac cutis crassiciem, & carnis mul
titudinem. debétq; ipsa deligatio proxima fie-
ri. At si deligatio venam occultauerit, describe
eam. & caue ne ipsa descriptio mobilitate liga-
turæ recedat à sua rectitudine. & cum hoc ad-
huc suspende venæ incisionem. quod si vena cũ
difficultate repleatur & eleuetur, tunc profun-
dè incide, præsertim in macilentis corporibus.
& vtere vncino. cúmque ligatura & astrictio
fit prope artum, nõ sinit venam repleri. & cum
locum lauare cupis, tunc digitis cutem super
foramen trahe, vt è regione tegatur. mox la-
ua, &

ua, & exicca, fasciolámque imponas, & finito cutem ad locum suum reuerti. Nec te lateat eum qui præ nimia plethora sudat, venæ sectione indigere. nõnunquàm præterea alicui febrienti, ac morbo comitiali laborãti, cui pro vt eius affectus exposcit, sanguinis missio conueniret, superueniet naturalis alui solutio, & tunc ea non indigebit.

CAPVT XXI. FEN QVARTAE:
De cucurbitularum impositione, ac de earum scarificatione.

CVcurbitulæ magis, quàm venæ sectio partes subcutaneas expurgant, ac magis tenue quàm crassum extrahunt. pinguibus tamen corporibus, quæ crasiorem sanguinem obtinent, minus opitulantur: quoniam non educunt sanguinem eorum vt deceret, sed tenuiorem eius portionem, ídque maxima difficultate extrahũt. particulam quoque vbi infiguntur imbecilliorem reddunt. Ex pręcepto adhuc est ne cucurbitulæ admoueantur in initio mensis: quoniam humores nondũ sunt moti vel excitati: neque in eius calce, cum sint diminuti, sed in medio eius dum humores excitantur, qui suo incremento insequũtur incre-

mentum, quod in ſubſtantia lunæ augetur, creſcítque cerebri medulla in caluaria, aquæ quoque fluminum fluentium ac refluentium augẽtur. diei autem hora conuenientior ad earum defixionem, eſt ſecunda & tertia. poſt balneum inſuper admoueri non debent, niſi forte quis craſſum habuerit ſanguinem. tunc enim debet balneo ablui, deinde aliquãtulum morari, mox cucurbitulas imponere. Maior autem pars hominum recuſant appoſitionem cucurbitularũ in ſyncipite, quia percipiunt & ſenſum & mentem ex eis offendi. ſed ſi in caua parte occipitij adhibeantur, inciſionis venæ mediæ ſupplent vices. Grauitati quoque ſuperciliorum auxiliũ præbent, & palpebras alleuant, ac oculorũ ſcabiei oríſque fœtori opitulantur. & ſi ſuper ſcapulas, cahal Arabes vocant, infigantur, inciſionis iecinorinæ venæ vicem gerũt, dolorémque humeri & gutturis leuant. & ſi ſuper alteram duarum venarum colli poſteriorum imponantur, pro cephalica valent, & tremorem capitis leuant, membríſque capitis cõferunt: velut ſunt facies, dentes, mandibulæ, aures, oculi, guttur, nares. Verum, vt inquit Muhamat, Si cauitati occipitij imponantur, obliuionem inducunt. cũ poſterior pars cerebri ſit locus memoriæ, quẽ cucurbitulæ imbecillum reddunt. ſed ſi ſuper

cahel

cahel apponantur, os ventriculi debilitant. & si super venas colli posteriores, quas cadahin Arabes vocant, infigantur, fortasse inducent capitis tremorem. Idcirco à cauitate occipitij parum descendere, & supra scapulam parum ascẽdere licet, nisi forte sanguinis suffusioni, vel tussi succurrere velimus. tunc enim non debet ascendi, sed in suo loco dimitti. Apponere autem cucurbitulas super cahal, & inter humeros, summopere valet ad ægritudines pectoris ex sanguine pendentes, & ad sanguineam conuulsionem, sanguineúmque catarrum. Verum stomachum debilitat, ac tremorem cordis parit. Porrò si cruri superponantur, iuuamentum simile adferunt, quod ex saphenæ sectione haberi solet, sanguinémque mundificant, menses cient. Mulieri insuper quæ & album colorem, ac rarum habitum, tenuémque sanguinem habet, magis expedit cucurbitularum appositio super crura, quàm venæ saphenæ incisio. Præterea si super verticem ac mediam caluariam infigantur, ad delirium ac vertiginem, vt à nonnullis traditum est, & ad tardam caniciem valent. Sed hæc sententia non est omnino certa. nam in aliquibus corporibus, in aliquibus vero non id effici potest: vt plurimum tamen solent caniciem accelerare, intellectúmq;

 lædere.

lædere. Oculorum tamen morbis auxiliantur: & hoc eſt remedium præſtantius quod ex huiuſcemodi infixione cucurbitularũ haberi poteſt. nam confert & ipſa ſcabiei palpebrarum, tuberculis oculorum, egreſsioníque corneæ, vel vueæ membranulæ: verum mentem offendit, attonitum morbum, obliuionem, malas cogitationes, morbóſque diuturnos parit. officit quoque his qui ſuffuſionem oculi patiũtur, niſi forte tempus ad id faciendum commodum ſe offerat. nam ſic fortaſſe non nocebit. Ad hæc ſi ſub mento imponantur, dentibus, faciei, gutturíque proſunt: caput ac maxillas mundificant. & ſi ſuper coxendices apponantur, ad abſceſſum femoris, eiúſq; ſcabiem & tubercula, podagram, hæmorroidas, morbum elephanti, ad veſicæ ac vteri vẽtoſitatem, dorſique pruritum ſatis valent. Quod ſi cum igne, & cum ſcarificatione apponantur, maiorem vim obtinent, vbi non ſit flatuoſitas: ſed quæ ſine conciſione imponuntur, vehementius flatum frigidum diſſoluunt, eúmque in ea parte, vel vbicunque exiſtentem, diſcutiunt. Apponere quoque eas ſuper femore in intrinſeca parte, ſatis proſunt ad teſtium abſceſſus, ac femorum tibiarúmque tubercula. Sed quæ in poſteriori femorũ parte imponuntur, ad abſceſſus qui in natibus orti

ſint

ſint valent. Et ſi ſub flexura genu admoueãtur, conferunt tremori genu ex acribus humoribus ſuborto, ac vitioſis abſceſsibus, & tibiarum, pedúmque putridis vlceribus. Sed quæ ſuper talos ponuntur, ad menſtruorum retentionem, & ad ægritudinem coxendicis, & podagræ valent. Sed ſi ſine ſcarificatione apponantur, quãdoque retrahunt materiam à parte ſui motus: vt cum mammis infiguntur, ad ſanguinis menſtruorum profluuium ſiſtendum. nõnunquàm tamen apponuntur, vt apoſtema profundum extra euocetur, vt medicamen perueniat ad ipſum. Aliquãdo vero vt apoſtema ad aliquod membrum ignobilius ſua vicinitate transferatur. Nonnunquàm adhuc admouentur, vt mẽbrum calefiat, & vt materia trahatur ad ipſum, eius quoque flatus ventoſi diſcutiantur: & quãdoque vt ad ſuum naturalem locum membrũ redeat, à quo dimotum eſt, vt fit in eo morbo quo inteſtina in ſcrotum dilabuntur. Apponũtur quoque, vt dolor mitigetur, quemadmodum cum infiguntur vmbilico ad difficilẽ dolorem inteſtini coli, ac flatus ventris ventoſos, vterique dolores, qui tẽpore motus menſtruorum accidere ſolent, & præſertim adoleſcentulis. Molliori quoque parti cruris infiguntur, ad coxendicum dolorem: coxæ vero ad luxatio-

nem.

nem. & inter ambas coxas ſi admoueantur, valent ad ipſa crura, & femora, & mariſcas, ad herniam patientes, & podagram. Appoſitio præterea cucurbitularum ſuper podicem, trahit ab vniuerſo corpore, & à capite, & confert inteſtinis. corruptionem quoque mẽſtruorum ſanat, & corpus ab ea leuatur, & vt aiunt, tria habentur ex ea iuuamenta. Primum euacuatio, quæ ab ipſomet membro fit. Secundum, quòd ſubſtãtia ſpiritus ita remanet integra, vt ad materiæ euacuationem nõ ſequatur eius euacuatio. Tertium vero eſt, quòd nobilia membra non euacuat. debet tamen cutis conciſio profunda eſſe, vt ex penitioribus partibus attractio fiat. Aliquando inſuper intumeſcit locus vbi infixa eſt cucurbitula, ita vt difficilè auferatur. tunc igitur pannum vel ſpongiam aqua tepida madidam, quæ potius ad caliditatem declinet, accipere debes, qua circuitus loci calefiat. hoc enim ſæpiſsime euenire ſolet, vbi cucurbitulæ ſupra partes mammæ infigũtur, ad profluuium menſtruorum ac ſanguinis narium ſiſtendum: & ideo non debent ſuper ipſammet mammam firmari. Cúmque locus vbi infiguntur, vnctus fuerit, ſtatim apponi debent. nec tardandum eſt: immo confeſtim ſcarificandæ ſunt. prima quoque appoſitio ſit leuis, facilis euulſionis,

mox

mox gradatim tardet euulſionem ac moram. Cui præterea cucurbitulæ impoſitæ fuerint, cibus poſt horam dandus eſt. puero autem, qui iam tertium egerit annum, cucurbitulæ infigi poſſunt: ſed qui ſexageſimum egerit annum, nullo modo apponantur. Appoſitio præterea cucurbitularum nos tutiores facit, ne materiæ ad partem inferiorem fluant. Sed ſi ille cui apponuntur fuerit bilioſus, grana malorum punicorum, eorúmque aquam, & intybũ, & ſaccarum, lactucam, acetúmque poſtea aſſumere debet.

CAPVT XXII. FEN QVARTAE:
De hirudinibus.

SApientes Indi dixerunt aliquas eſſe hirudines natura venenoſas, & ideo damnant magna habentes capita, & colorem antimonij, aut virides, & habentes in dorſo veluti fila coloris cæſij, & eas quæ alicui ſerpentum generi aſsimilantur: quoniã his omnibus ineſt vis venenoſa, pariúntque apoſtemata, vel animi defectum, aut ſanguinis profluuium, aut febrem vel laſsitudinem, aut vlcera intractabilia: Ac reiiciuntur quæ in aquis cœnoſis, vitioſiſque captę ſunt: ſed eligi debent

quæ

quæ in aquis, quibus lenticulæ ſupernaſcuntur.
Nec acceptes dictum illorum, qui affirmant eſſe vitioſas eas hirudines quæ in aqua, in qua ranæ oriuntur, genitæ fuerint. Sed quod ad colorem earum attinet, præſtantiores quidem ſanguiſugæ ſunt, quæ viridem in dorſo obtinent colorem, & habent veluti duas lineas extenſas in earum ſuperficie, colore auripigmenti: & quæ ſunt flauæ, quæ habent corpora rotunda, & quæ ſunt coloris hepatis, & quæ ſimilantur locuſtis paruis, & caudæ muris non abſimiles, ac tenues, parua habentes capita: nec eligantur niſi quæ vẽtrem rubeum ac dorſum viride habent, præſertim ſi in aquis fluentibus inueniantur. Hirudinum præterea attractio maior fit ex intimioribus partibus quàm quę per cucurbitulas fiat. per diem quoque adſeruandæ ſunt, poſtquàm captæ fuerint, antequàm admoueãtur. eas quoque in contrariam partem earum ſubuertere debes, vt euomant: & quicquid in ventre continent ſi poſsibile fuerit, egrediatur. mox exiguo ſanguine agnelli, aut alterius id genus, reſpergendæ atque alendæ ſunt antequàm adhibeantur, deinde capiantur. & ſpongia mucore & ſordibus repurgandæ ſunt. ea præterea pars cui admouendę ſunt, debet prius nitro ablui, frictionéque rubeſcere. poſtea ve-

ro cum eas imponere volueris, demergantur in aqua dulci & expurgentur, deinde defigantur. facit præterea eas auidius adhærere, si locus primò luto vel sanguine liniatur. Cúmque iam repletæ fuerint, & eas excidere desideras, tunc sale aut cinere vel nitro, aut linteolo vsto, aut cremata spongia, vel lana aspergatur, & excident. Satius autem est postquàm exciderint, cucurbitulis aliquid sanguinis illius partis exhaurire, quo nocumentum ex morsu earum impressum extrahatur. cęterum si sanguis emanare non desinat, gallæ combustæ ei parti imponãtur, aut calx, aut cinis, aut myrtus tenuissime contrita, aut aliquid aliud id genus quæ sanguinem supprimunt: quæ omnia habeat parata, quando eas admouet. Confert autem sanguisugarum appositio morbis subcutaneis, vt serpigini, impetigini, & his similibus.

CAPVT XXIIII. FEN QVARTAE:

Quibus nam remediis euacuationes astringantur.



Acuatio quidem astringitur, vel auertendo materiam citra euacuationem, vel euacuando cum auersione quoque, vel adiuuando ipsammet euacuationem,

nem,

nem, aut medicaminibus refrigerantibus, constipantibus, aut glutinãtibus, vel vrentibus, vel deligatura. Aſtringimus autem euacuationem per reuulſionem ſine euacuatione, vt ſi ſanguis ab vtero profluxerit, & eum retinere volueris, cucurbitulas ſuper mammam defiges. Melior tamen diuerſio eſt, qua dolor particulæ à qua reuellitur ſedatur. ea vero reuulſio quæ fit cum euacuatione, eſt quæ per ſectionem venæ iecinorinæ fit, & velut aſtrictio vomitus per alui ſolutionem, & hæc per vomitum, & vtrunque ipſorum per ſudorem. Aſtrictio adhuc fit auxiliando euacuationi, vt cum ventriculum & inteſtina ex humoribus glutinoſis lubricum lapſum facientibus, hiera purgamus, ventriculíque oſculum vomitu expurgare cogimur, vt materia quæ vomitum iam firmatum efficit, abſcindatur. Medicamenta quoque frigida id efficiunt: quia quod frigidum eſt, congelant, oſculáque ſtupida faciunt, eáque anguſtiora reddunt. Medicamenta autem ſtyptica, ideo id faciunt quia materiam comprimunt, meatúſque ſtipant: ſed glutinatiua medicamina, propterea quòd in oſculis obſtructionem pariunt: quæ ſi calida exiccantiáque fuerint, fortius id efficient. Medicamina vero cruſtam generantia, ideo id efficiunt, quia ea cruſta ſuper ipſum meatum

meatum velut operculum manet, & claudit, eúmque ſtrictè hærere facit: verum adfert ſecum periculum, ne ſcilicet cruſta decidat, & latior reddatur meatus. Sunt præterea aliqua incruſtantia, quæ adſtrictiuam facultatem habent, vt Myſi: aliqua vero non, vt calx non extincta. vbi autem cruſtam diutius hærere deſideramus, adſtringentibus cruſtificis tunc vtimur. Aliis vero, vbi citius cruſtam excidere cupimus. Fit adhuc retentio per ligaturam, partim claudendo meatum, & vt omni conatu, ſi opus ſit, claudatur: veluti ligamus cubitum, vbi medicus per errorem arteriam pro vena iecoris ſecuerit: partim replendo ora vulneris, re viam claudente, qua vacuatio fit: vt ſi repleatur oſculum vulneris pilis leporis. Dicimus igitur quòd ſi ſanguinis profluuium ex recluſione orificiorum venarum fiat, vti medicamentis adſtringentibus opus eſt, ac oſcula earum comprimere. At ſi ex eruptione id fiat, tunc adſtringentibus ſimul & glutinantibus opus eſt, veluti terra Lemnia. Quod ſi ex eroſione profluuium accidat, his quæ carnem gignũt mixtis cum detergentibus mederi debet.

CAPVT XXIIII. FEN QVARtæ: *Quo nam pacto obstructiones curari debeant.*



OBstructiones quidem fiũt vel ab humore crasso, vel ex lentis humoribus, aut multis. quòd si ex multis fiant humoribus, nulla alia cõcurrente causa, tunc ad auferẽdam eorum læsionem satis erit vel sanguinis missione, vel purgatione eos educere. at si ex crassis, tunc medicamina dissoluentia, quæ abstergunt, administrari oportet. Si vero glutinosi fuerint humores, & præcipue tenues, tunc incidentia medicamina necessaria sunt. nec te lateat, quid intersit inter crassum & lentum. differunt enim inter sese velut lutum & gluten liquidum. Crassum enim dissoluentibus eget, vt attenuetur & facile expellatur: glutinosum vero incidentibus: vt inter ipsum, & id cui adhæret, separatio fiat, vt ab eo expurgetur & eius partes incidantur. nam glutinosum suo lentore, ac suarum partium adhærentia obstructionem parit. In dissoluendo præterea crasso, duo contraria sunt obseruanda. alterum scilicet ne fiat resolutio ita imbecillis, vt raritatem materię, eiúsque molem augeat, citra resolutionem,

augendo

augendo adhuc oppilationem. Alterum, vero ne valida fiat reſolutio, cuius tenuis portio in vapores: craſſa vero in lapidem vertatur. Cúmque valida indigebis diſſolutione, adiuua eam leui mollificatione. quæ fiat medicamine non craſſo, habente calorem moderatum, vt valeat penitus diſſoluere id quod facit oppilationem. Inter obſtructiones prætereà, difficilior quidem eſt quæ in venis fit: deterior autem hac quæ in arteriis: deterior adhuc eſt quæ in principibus partibus fit. Ad hæc medicaminibus recludentibus ſatius quidem eſt admiſcere aliquid vim aſtrictiuam & attenuatiuam habens, quoniam illud aſtrictiuum grauitatem attenuantis corrigit.

CAPVT XXV. FEN QVARTAE: *De cura abſceßuum.*



APoſtematum quædam ſunt calida, quædam frigida mollia, quędam frigida dura, quæ iam à nobis numerata ſunt. Eorum autem cauſæ vel ſunt extrinſecæ, vel præcedentes. intelligo autem per præcedentes, veluti plenitudinem: per exteriores vero, vt vulnus, caſum, ictum, ac morſum. Porrò quod ex cauſis exteris fit, vel cum corpo-

ris plethora, vel cum humorum moderantiâ accidit. Si cum corporis plethora antecedentes & exteriores causæ concurrant, profectò vel in vicinis partibus ipsis principibus membris, ad quas fit transmissio, id fiet: vel non. quòd si non, tunc in principio nihil resoluens eis admoueri debet: sed membrum impellens, si adsit, corrigi debet, vel vniuersum corpus corrigatur, si huiusmodi apostema non habuerit singulare membrum, admouendo ei quodcunque repellat, & ad oppositam partem retrahat & astringat. Et fortasse fiet tractio ad oppositam partem illius mẽbri locati in parte opposita per dimotionem, aut si aliquod graue pondus ferat. nam sæpissime trahitur materia à manu in qua est abscessus, si alterâ aliquod graue pondus feratur, per horámque illud retineatur. Ea vero quæ vim astrictiuam habent, in calidis quidem apostematibus debent esse exquisite frigida: sed in frigidis mixta his, quæ vim obtinent & calidam & astrictiuã, vt est schœnuanthos, & vnguis odoratus, seu cõchula indica, quam blattam bysantiam vocant. Accedente autem maturatione, minus astrictiua applicabis, quibus dissoluentia admiscebis, donec peruenerit ad vigorem: tunc enim in æquis portionibus misceri debent. Sed

dum inclinat, reſoluentibus & mollietibus vti ſat erit. ea vero quæ frigida ac mollia diſſoluunt apoſtemata, vim exiccatiuam ac aridam habere debent. quæ quidem vis plus in calidis reperiri ſolet. At apoſtemata quæ ab exteriori cauſa ortum habent, nec vlla adeſt humorum repletio, debent omnino in principio mollientibus & reſoluentibus curari: ſed non eo modo quo curaſti primum genus. Verum ſi illud membrum quod apoſtemate laborat, fuerit veluti excretorium alicuius principis, vt ſunt loca adenoſa colli, & apud aures ipſius quidem cerebri, aſcellæ vero cordis, inguináque hepatis, tunc nullo pacto debet eis applicari quod repellat, non quaſi hæc non ſit vera curandi ratio eorum apoſtematum: immo hoc eſt vere præſens remedium illorum apoſtematum: ſed nolumus ea apoſtemata ſanare, immo cupimus ea augere, materiámque ad ea trahere. nec timemus addere læſionem illi particulæ cum principi opitulari quæramus. nā ſi materiam reuelleremus, nunquàm ſine formidine eſſemus, quin materia ad nobile mēbrum perueniret, vnde irreparabile ſubſequeretur incōmodum. nam nos pręeligimus membrum lędi ignobile, vbi nobili ſuccurretur. Immo nos ſtudemus trahere materiā ad membrum ignobi-

le, & vt in eo apoſtema oriatur, ſiue cucurbitulis, ſiue emplaſtris calidis, vim attractiuam habentibus. Et cum hæc vel alia apoſtemata ſuppurantur, & præſertim quæ ſunt in locis cauis, fortaſſe ſponte, vel auxilio maturatiuorum remediorum diſrumpentur, & fortaſſe maturare ac rumpere ſimul conabimur. Maturatio autem perficitur his quæ oppilatiuam ac glutinatiuam habent vim additam calefactoriæ, quibus ipſe calor retineatur. At ſi quis huiuſmodi maturatiuis remediis vti voluerit, debet animaduertere, vtrum calor innatus ſit imbecillus, & membrum tendat ad corruptionem. tunc enim ea quæ vim habent oppilatiuam & glutinatiuam admouere debet, & vti aperitiuis ac profunda ſcarificatione, mox reſolutiuis & exiccatiuis, vt adhuc in particularibus libris ſermo nobis complebitur. Sæpe præterea apoſtema eſt profundum, ita vt cogamur trahere ipſum ad partem cutis etiam cucurbitulis ignitis. At in duris apoſtematibus, quæ terminum vigoris tranſierint, conueniens remedium ac regula eſt, vti mollificantibus remediis, quandoque his quæ parum calefaciant & exiccent, ne præ nimia diſſolutione quod craſsius eſt, duriciem lapidis aſſequatur. Immo id totum diſſolutioni

paretur,

paretur, mox dissolutio augeatur. Quod si postea verearis ne ex dissolutione quod residuum est, in lapidem vertatur, reuertere iterum ad mollificantia. & sic iugiter procedas donec partim mollificando, partim dissoluendo vniuersum apostema consumetur. Apostemata vero tumida, quæ œdemata vocantur, curantur medicaminibus habentibus vim calefactoriam cum tenui substantia, vt flatus dissoluantur, meatúsque exigui dilatentur. nam horum apostematum tumidorum causa est crassus flatus ac meatuum obstructio: Oportet adhuc studere, vt amoueatur ea materia, quæ vaporem gignit flatuosum. Sunt prætereca nonnulla apostemata vlcerosa, vt formica deambulatiua, quæ quidem remedia refrigerantia exposcunt. eiusdem generis sunt apostemata inflammata, quæ phlegmonæ vocantur. at non debent humectari, & si ipsi apostemati deberetur humectatio: immo exiccentur, quoniam in his accidens vicit iam causam. Est autem accidens, ipsum vlcus, quod affuturum timetur, vel quod iam accidit. Vlceri enim cura exiccatiua debetur, cui nihil noxium magis ipsa humectatione. In intrinsecis vero apostematibus, debet materia minui per venę sectionem & purgatiuum medicamen. Debẽt etiam

qui apoſtematibus hiſce vexantur, balneum vinúmque, & motus corporeos ac animales immodicos, vt eſt iracundia, & id genus alia, euitare. Deinde inter initia debent vti his, quæ ſine moleſtia repellere valeant, præſertim ſi id membrum fuerit quale eſt ventriculus, & iecur. tempore autem quo diſſoluentia remedia conueniunt, non debent deeſſe tibi ſtyptica odora, vt in præcedentibus ſermonibus iam te admonuimus. & iecur atque vẽtriculus inter cætera membra his ſtypticis magis quàm pulmo indigent. Ea vero remedia, quibus vtimur vt aluum leniant, debent eſſe medicamina, quæ vim maturandi & cum ipſis apoſtematibus conuenientiam obtinent, vt hortenſe ſolanum, & caſsia fiſtula. Valet autem ipſum ſolanum, ex propria natura, ad diſſoluenda calida apoſtemata intrinſeca. & qui his laborant abſceſsibus, non debent vti niſi tenui victu, & dum acceſsio non adſit. ſi acceſsionem habuerint, neque inter initia, niſi forte vrgente vehementi imbecillitate. Et qui apoſtema viſcerum ſimul cum defectu virium patiatur, is ad interitum accedit, cum vires cibo tantum excitentur. nihil autem magis lædit quàm cibus. Quod ſi apoſtemata diſſoluantur, bene eſt. Sed ſi diſrumpantur, tunc

quæ

quæ detergant bibi debent, vt aqua mulsa, & aqua ex saccaro. mox quæ sensim maturent, cum his quæ vim exiccandi habent, assumi debent. Tandem quæ exiccent, satis erunt. Sed hæc exacte cognosces ex libro, qui partiales continet morbos. In apostematibus præterea internis, quæ sub ventre existunt, committitur error, cum forte non sint apostemata sed rupturæ, & tunc eorum apertio erit timorosa, vel forte erit apostema internum quod non est in peritonæo, sed in ipsomet intestino: & tunc apertio eorum non sine discrimine erit.

CAPVT VIGESIMVMSEXTVM *fen quartæ*: De *Apostematum apertione.*

SI quis aliquem abscessum aperire voluerit, debet scissura rugas illius membri imitari, nisi id membrum fuerit frons, vel aliud simile. Nam si in eo scissura secũdum rugas fieret, incideret musculos frontis, & supercilium caderet. Verum in membris in quibus rugæ contra ordinem villorum musculi procedunt, cõtrarium fiat. Debet igitur qui incidit, scire artẽ secandi neruos, ac ve-

nas & arterias, ne oberret, & aliquid horum incidat, & medicamenta ſanguinem adſtringentia apud ſe parata habere, ac emplaſtra dolorem mitigantia, & inſtrumenta ad id idonea. habeátque ſecum aliqua, vt ſunt medicamina Galeni, & velut pilos leporis, & telas ſeu ſtamina aranei, & album oui, & vrentia omnia enim hæc prohibent ſanguinis fluxum, ſi accidat, ſiue ex errore, ſiue vi ad id inductus quis fuerit, & habeat penes ſe medicamina mollientia. Et cum aperitur abſceſſus, & extrahitur id quod intus erat, non debet admoueri ei oleum, neque aqua, neque linimentum in quo ſit oleum, vel ſeuum abundans, vt eſt vnguentum baſilicon: ſed debet apponi velut linimentum ex chalcitide, quod fiat cum eo indigebit: & ſupra ipſum imponat ſpongiam madefactam ex vino auſtero.

CAPVT VIGESIMVMSEPTIMVM *fen quartæ:* De *membri corrupti curatione, eiúſque ſectione.*



Vm aliquod membrum corrumpitur ob aliquam malam temperaturam in eo exiſtentem, cum materia vel ſine materia, & non ſuffecerit ſcarificare,

aut

aut linire his quæ ipſum corrigant, de quibus facta eſt mentio in libris particularibus, tunc caro corrupta quæ in eo eſt omnino auferatur. & ſatius eſt id ſine ferro fieri, quatenus datur. quoniam ferrũ ſi fortaſſe tetigerit muſculorum fibras & arterias, lædet eas. Sed ſi id non ſufficiat, & corruptio iam deuenerit ad carnem, tunc neceſſe eſt ipſam ſecare, & locum ſectionis oleo feruente vrere. Sic enim à vehementia malitiæ eius nos tutiores reddit, fluxúſque abſcindetur, ac ſuper locum ſciſſum caro & cutis aduentitia diſsimilis, ſimillima tamen, ſua duricie ipſi carni orietur. Et cum deueneris ad inciſionem, debes intromittere ſtylum, quo fit tentamentum, & in circuitu oſsis ipſum circunducere dum inuenias ſanam vnionem. nam vbi dolor augetur ex ſtyli ductu, inibi quidem ſanitas terminatur: ſed ſi locus ille relaxus fuerit, & eius vnio imbecillis, tunc illud ſecari debet. Quandoque præterea perforabis id quod circundat os, quod ſecare cupis, ita vt terebellis circundetur, & rumpatur, ſecetúrve. Quandoque vero ſerra ſerrabis. At cum id efficere volueris, fac vt intermediet aliquid inter inſtrumentum quo inciditur, terebellúmve, & ipſam carnem, ne dolorem adferant. Et ſi ſuper os
quod

quod ſecare intẽdis fuerint veluti arteriæ prominentes, non hærentes inter ſe, nec ſperetur eas in rectam habitudinem reduci poſſe, immo timeas, ne id quod in eius circuitu eſt, corrumpatur, tunc caro debet ab eo remoueri, vel icisſione, vel deligatura, aut extenſione, ducendo ad oppoſitam partem, vel aliqua alia induſtria, ad quam ipſe viſus te diriget. & ſi ibi aliquod membrum nobile adfuerit, tunc inter ipſum & illud os aliquid intercipi curabis, velut ſeptis, ex fruſtis pannorum, vt his ab eo diſtet, deinde ſeca. At ſi huiuſcemodi os fuerit, velut os coxæ, & magnum, muſculis, arteriis, veníſque proximum, eius quoque corruptio immodica, tunc medicus debet ab eo negocio ſe abſtinere.

CAPVT VIGESIMVMOCTAVVM
fen quartæ: De curatione ſolutionis vnionis, ac vlcerum generum.



CONtinuitatis ſolutio magnorũ quidem membrorum, æquatione, & cõuenienti deligatione, quæ in arte ligandarum fractionum dicta ſunt, & adhuc ſuo loco tibi dicetur, curatur. Mox quiete, victúque

que glutinatiuo, ex quo callum ſeu porũ carnoſum gigni ſperabis. & vtranque partem fracturæ maxima hæſione vnire facias, & ſuperponas bracteas, quas ſuper vnionem partium vaſis æreι fabri ærarij ſolent apponere. labiáque fracturæ vi aſtringas, atque impleas. nam falſum eſt poſſe coaleſcere os, præſertim in ætate adulta, niſi hac ratione: quoniam non poteſt vllo pacto conglutinari. De curatione tamen fracturæ, adhuc faciemus completum ſermonem in ſingularibus tractationibus. Curatio vero ſolutionis continui, quæ in mollibus contingit membris, tres complectitur intentiones, ſi cauſa fuerit fortis. Prima eſt, abſcindere id quod profluit, ſiſteréque materiam eius ſi feſtinet vt noceat. Secunda eſt, ſciſsionem vnire medicaminibus, ac cibis congruis. Tertia vero eſt, putredinem prohibere quoad fieri poteſt. Quod ſi his tribus vnũ deſit, inſpice reliqua duo. Quot autem modis ſiſtatur id quod profluit, iam noſti. Vnio vero fit cogẽdo in vnum labra vlceris, ſi in vnum duci poſsint, exiccantibúſque, ac glutinantium aſſumptione. Nec te lateat intentionem curatiuam vlcerum eſſe ipſam exiccationẽ. Quod ſi vlcus fuerit purum, exiccetur tantum: ſed ſi putridum, adhibeantur medicamẽta acria corro-

dentia,

dentia, vt ex chalcitide, & myſi, & arſenico, & calce: & ſi non valeant, tunc neceſſe eſt deuenire ad ignem. Medicamentum autem quod ex flore æris, & cera, & oleo conficitur, moderatum eſt in hoc negocio. flore enim æris mundificatur: oleo vero & cera mordicatio immodica tollitur. Dico adhuc, quòd omne vlcus neceſſario eſt, vel ſolum & ipſum per ſe, aut compoſitum. Solum autem ſi exiguum fuerit, nihílque in eius medio eroſum fuerit, tunc labra debent vniri, ipſúmque faſcia inuolui, cum maxima tamen animaduerſione, ne aliquid olei inter ipſa labra intercipiatur, aut pulueris inſpergatur: hæc enim prohibent ipſa vniri. Identidem fieri conuenit in magno vlcere, cuius ſubſtantiæ nihil deſit, & pars altera alteri coniungi poſsit. At vlcus magnum, quod non poteſt vniri, ſiue id fuerit ſciſſura, aut capacitas plena ſanie ex qua aliquid ſubſtantiæ ipſius membri deperditum fuerit, eius quidem curatio eſt exiccatio. Sed ſi id deperditum cutis fuerit ſola, tunc quod cutem obducat expoſcit. & id quidem vel per ſe, & tunc aſtringentibus, aut per accidens, & tunc calidis vti oportet, parum tamen, ſitque id vſtum ex myſi, & chalcitide. Hæc enim magis faciunt ad exiccationem, & magis cru-

ſtam

ſtam gignunt. quod ſi immodica hæc eſſent, corroderent, vlcúſque augerent. At ſi quod deperditum eſt, fuerit caro ſola, vt in vlceribus profundis, non feſtines cicatricem obducere. Immo primo debes in generanda carne ſtudere. Gignunt autem carnem, quæ primum ordinem exiccandi non multum tranſgrediuntur. ſed circa hoc quædam contemplari prius oportet. primum temperamentum radicale ipſius particulæ, temperamentúmque vlceris. Nam ſi illud membrum fuerit temperaturæ valde humidæ, vlcus vero non, tunc exigua exiccatio in primo videlicet ordine ſat erit. quoniam morbus ipſe non multum diſtat à natura membri. Sed ſi membrum fuerit ſiccum, & vlcus vehementer humidum, tunc quæ in ſecundo & tertio ordine exiccant, ſunt neceſſaria, vt ſuæ temperaturæ reſtituatur. In temperatis vero temperata ſunt opportuna. Ad hæc & vniuerſi corporis temperamentum inſpicere oportet. Quoniam ſi corpus immodice ſiccum fuerit, & illud membrum quod eſt auctum in humiditate, fuerit temperatæ humiditatis in comparatione ad corpus temperatum, tunc debet æqualiter exiccari. itidem ſi corpus fuerit in humido auctum, & membrum declinet ad ſiccitatem.

tem.

tem. Sed ſi ſimul in exceſſum egrediantur, vel egreſsio fiet ad humiditatem, tunc maior exiccatio conuenit: & ſi ad ſiccitatem, minor exiccatio eſt neceſſaria. Porrò ipſius medicaminis exiccatiui facultatem contemplari oportet. nam licet exiccantia medicamenta, quæ generant carnem, non adhibeantur, vt exiccationem ita validam efficiant, qua prohibeatur materia effuſa, quæ eſt apta carnem in membro generare, vt ea quæ ad generandam carnem non ſunt adinuenta, ſed ad obducendam cutem, deſiderantur tamen vt magis detergant & abluant, quàm quæ exiccant, & quæ quidem vt ſigillent & conglutinent, admouentur, & omnia medicamina quæ citra mordicationem exiccant, inter carnem producentia aſcribuntur. quoniam omne vlcus in loco non carnoſo, non eſt aptum cito ſanari. Itidem neque orbiculare. In medicaminibus prætereà exiccantibus & aſtringentibus, quæ ad curationem vlcerum internorum adminiſtrantur, debent admiſceri quæ detergant, vt mel, ac ea quæ propriam reſpiciunt particulam, velut quæ vrinam cient, vbi inſtrumentorum vrinæ accommodatorum vlcera curare tentamus. ſed cum cicatricem ducere cupimus, tunc medicaminibus vtimur, quæ cum ſua aſtrictione

astrictione habeant adhuc exiccare & conglutinare: vt est terra Lemnia, quam sigillatam vocant. Scias adhuc quòd multa sunt quæ vlcus sanari prohibent, vt est membri intemperies: idcirco oportet eius correctioni studere. Mala quoque sanguinis temperatura qui ad ipsum vadit, idē prohibet. Quare his qui optimum humorem gignunt corrigi debet. Multitudo adhuc sanguinis qui ad illud fluit, ipsúmque humectat, id quoque efficit: cui succurrendum est euacuatione, & victus attenuatione, deambulationéque, si fieri potest. Ad hæc ossis ei subiacentis corruptio idem facit, emittendo saniem. quod quidem vitium nullum habet remedium, nisi rectificatione illius ossis, eiúsque abrasione, si fieri potest, vt abrasio corruptionem tollat, ablationéque, atque sectione. Sæpissime præterea cogitur qui vlcera sanat, vt ferat apud se emplastra trahentia ossis fragmenta, habeátque instrumenta quibus ea educat. aliâs enim vlcus sanari impedirent. porrò vlcera cibo indigent, vt opituletur eis: sed eius minutione, ad abscindendam materiam sanici. Verum hæ duæ necessitates inter se differunt: quoniam sanies vires debilitat, propterea roboratione indigent. at vbi multiplicatur, inedia indiget. quocirca medicus debet esse

huius

huius negocij rector. Cúmque vlcus fuerit in principio, & incremento, non debet balneum ingredi, nec aquam calidam tangere: quoniam traheret ad ipsum quod apostema augeret. at si iam vlcus quieuerit, & sanies genita fuerit, tum forte id licebit. Omne præterea vlcus quod citius iusto clauditur, dum in suprema parte consolidatur, est in via ad gangrænam. Inspicere igitur oportet semper saniei labrorúmque vlceris colorem. quòd si sanies multiplicetur, non multiplicato cibo, illud est ipsa maturatio. Nunc vero de curatione rupturæ disseramus, & dicamus quòd cum ruptura sit solutio continuitatis profunda sub cute, idcirco valentiora medicamenta requirit, quàm quæ in summo corpore existit. sed quoniam sanguis vberrime confluit ad eam, idcirco dissoluenti indiget medicamine. quod quidem non debet immodice siccari, ne tenue dissoluatur, & crassum in lapidem conuertatur. facto autem officio ipsius dissoluentis, glutinatorij vsus necessarius est, ne sordes mediæ vlceris coitum impediant, & in lapidem conuertantur, mox qualibet leui de causa putrescant, vel euellantur, & solutio continuitatis redeat. At si ruptura profundior fuerit, debet particula ipsa scarificari,

rificari, vt medicamẽ magis penetret. Ruptioni præterea cum leui fractione fortasse venæ, sectio pro cura satis erit. At si ruptio contusioni adiuncta fuerit, tũc cõtusio debet curari medicaminibus contusioni idoneis. & si cõtusio fuerit magna, curetur exiccantibus. & si exigua, velut punctura acus, tunc eam naturæ committemus, nisi fuerit venefica interimens, vel magno cruciatu dolorem afferens, aut tetigerit neruum, vnde apostema & pulsum oriri vereamur. In fractura vero ossium sufficit leuis deligatura, non dolorosa, & superponere medicamenta ad fracturas propria. In casu vero vel ictu, vel aliis id genus, necessaria est venæ apertio in contraria parte facta, victúsque tenuitas, carnium euitatio, & id genus alia. linimentis quoque ac potionibus ad id, iam in particularibus commentariis inscriptis, vti par est. De soluta autem continuitate, quæ membris nerueis ac ossibus accidit, postea fiet sermo vbi de particularibus rebus tractabitur.

CAPVT VIGESIMVMNONVM *fen quartæ*, De *vstione*.


Stio, quam cauterium vocant, eſt efficaciſsimum remedium, quod valet ad prohibendam expanſionem corruptionis, & particulam cuius intemperiem corrigere cupimus, roborandam, materiáſque corruptas membro infixas diſſoluendas, ſanguiníſque profluuium ſupprimendum. Inter metallica autem inſtrumenta ignita, quibus aduſtio fit, præſtantius eſt aurum. locus autem vbi cauterium fieri debet, vel ſenſibus deprehenditur, ita vt vſtio manifeſte appareat vbi nam fiat. vel locus is profundus erit, intra imam partem alicuius membri ſitus, vt eſt naſus, & os, & podex, & id genus alia, vbi oportebit aliqua formula veluti vagina vti, ſupra quam inclinetur, vt eſt illud genus terræ ſamiæ, quæ Aſter vocatur, ab Arabibus talk, & vt genus illud Cimoliæ terræ, quæ rubrica eſt, vulgo ſinopis, & ab Arabibus magra dicitur: hæc igitur debet aceto perfundi, mox panno inuolui, & aqua roſacea aut aliquibus ſuccis infrigidari. illáque formula in illum meatum introducatur, ita vt locum vrendum ambiat, deinde ferramentum ignitum intromittatur, vt locum pertingat, & non lædat quod in circuitu eius exiſtit, præſertim ſi ferramen-

tum

tum illud vrens tenuius fuerit cauitate formulæ, ne eius formulæ latera interna contingat. caueat præterea qui vrit, ne ferramento illo ignito, vſque ad neruos, & tendines ac copulas pertranſeat. Quod ſi vſtio ad ſanguinem ſiſtendum fiat, tunc validior eſſe debet, vt cruſta quæ gignitur profundior ac craſsior ſit, ne cito decidat. nam vbi ſanguis profluat, ſi cruſta ceciderit, maius inferet nocumẽtum quàm prius. At ſi ad tollendam carnem corruptam vſtionem feceris ; & terminum incolumem depræhendere velis, ſcias eum eſſe vbi adeſt dolor. & fortaſſe cogeris vna cum carne os, quod ſub carne exiſtit, vrere, & vſtionem infigere, donec tota eius corruptio tollatur. Si vero id quod vritur, fuerit vt caluaria, tunc caue ne cerebrum ferueat, & ne membranæ ipſæ conuellantur. aliâs vero non verearis integre vrere.

CAPVT TRIGESIMVM FEN *quartæ*: *De dolorum mitigatione.*



Auſas dolorum ſub duplici genere contineri, videlicet ſubita temperaturæ mutatione, ſolutionéque con-

tinuitatis, iam nosti. nec te latet has diuisiones tandem deduci vel ad malam temperaturam calidam, vel frigidam, vel siccam, sine materia aut cum materia humorosa, aut flatuoso spiritu, aut apostemate. mitigatur igitur dolor his quæ contraria sunt illis causis. quo autem pacto fiat contrarietas, cuique earum, etiam nosti. didicisti præterea qualiter curetur mala temperatura ac apostema. Omnis adhuc dolor qui validior fit, interficit quidem, ac primo corpori frigiditatem rigorémque adfert, mox minor redditur pulsus, deinde penitus amittitur, postremo tandem moritur ęger. Porrò quicquid dolorem mitigat, vel temperaturam immutat, vel materiam dissoluit, aut sensum stupidum reddit. ea vero quæ molliunt, inter facile dolorem soluentia locantur, vt anethum, & lini semen, & sertula campanica, quæ melilotus vocatur, & anthemis, quæ chamæmelon vocatur, & apij semē. amygdalæque amaræ, & quæcunque primo ordine sunt calida, & præsertim quæ aliquam glutinatiuam vim habent, velut gummi quod arbor prunorum resudat, & amylum, & genera cerusæ, & crocum, & ladanum, althæa, amomum, & brassica, rapum, corúmque decoctum,

coctum, adipes, & œsypi, ceratum ac olea quæ in libro compositionum medicaminum tradita nobis sunt, ac solutiua & purgatiua medicamina quæcunque fuerint, huius sunt generis. porrò ea quæ mollificant, debent post euacuationes administrari, si euacuatio conuenerit. itidem & quæ apostemata maturant vel aperiunt. Inter vehementer soporatiua primum est succus papaueris, seu meconion, quod opium vocatur, & mandragora, radicúmque ipsius cortices, & papauer, hyoscyamus, & cicuta, & solanum somniferum, lactuca, & ex horum summa est nix, & aqua frigida. Sæpissime præterea committitur error in doloribus qui ab extrinsecis causantur, vt à calore, vel frigiditate, aut eminentia puluinarium, aut incommodo decubitu, aut casu, dum ebrius est, & alio simili, quorum causa intrinsecus quæritur, & sic delinquitur. quapropter oportet id non ignorare, nec latere. vtrum adsit plethora, nec ne, & sciatur vtrum adsint causæ ipsius plethoræ iam notæ. Et fortasse causa extrinsecus proueniet, & iam intrinsecus impresserit, velut qui aquam biberit frigidam, vnde vehemens orietur dolor in partibus ventriculi atque iecinoris. Et multoties

eſt neceſſaria aliqua magna euacuatio, vel aliquod magnum præſidium. quandoque tamen ſufficit balneatio & magnus ſomnus, vt ſi quis aſſumpſerit aliquod calidum vnde dolore vehementi caput crucietur, cui tamen potio aquæ frigidiſsimæ ſufficiens remedium erit. fortaſſe tamen id quo certamus dolorem remouere, tarde imprimit ſuam actionem, ita vt æger non poſsit dolorem ferre vſque ad illud tempus, vt eſt euacuatio materiæ retentæ in villis inteſtinorum, efficientis dolorem inteſtini coli: aut erit velocis impreſsionis, ſed maxime lædens, vt eſt ſoporatio illata in particulam dolore colico affectam, medicaminibus id facientibus, ita vt medicus de hoc negocio maxime erit perplexus. Idcirco efficaciſsima coniectura præditus eſſe debet, vt cognoſcat quodnam horum duorum temporum diutius perdurare poſsit, vtrum virium, vel doloris conſtantia: ac vtér nam horum affectuum magis lædet, vtrum dolór ne, an nocumentum, quod ex ſoporificatione oriri ſuſpicamur, vt quod conuenientius eſt præponat. forte enim ſi dolor remanſerit, interimet ſuo vigore & magnitudine. Sed ſtupor fortaſſe non interficiet, quanuis aliâs lædat.

Immo fortaſſe poteris eius nocumentum corrigere, & iterum medicamine condecenti poterit curari. Verum conſtitutionem ſoporifici medicaminis eiúſque qualitatem inſpicere oportet, vt leuiori vtamur, illúdque cũ ſuo correctiuo remedio, quod antidotum vocant, componemus, niſi affectus ita eſſet vehemens, vt maxima indigeret ſtupiditate. vel forte particula illa adfecta nihil timebit ſtupefactionem, ſi in ea adminiſtretur, quia non inferetur inde maximum nocumentum, vt ſtupefactiuum medicamen admoueatur. vel forte erit tuta potio medicaminis ſtupefactiui, vt fit in dolore oculi: nam minus hæc lædit oculum, quàm linire ipſum. Et forte poterit facilè corrigi nocumentum proueniens ex potatione illius, in aliis membris. At in dolore coli inteſtini creſcit læſio: quoniam materia augebit frigiditatem, & congelationem, ac duriciem. Medicamina præterea ſtupefacientia quandoque mitigant dolorem, propterea quòd dormire faciunt: nam ſomnus inter cauſas doloris mitigatiuas refertur: præſertim ſi ſecũ inedia aſſocietur in dolore materiali. Stupefactiua vero compoſita, quorum vis medicaminibus correctiuis refringitur, tutiora ſunt, vt

est medicamen philonium, & trochisci nominati de tribus compositio vocata diatrion. verum minus stupefaciunt, & recentiora eorum vehementius, antiquiora vero nihil, media vero mediocriter stupefaciunt. Dolorum præterea aliqui sunt validissimi, qui tamen facillime curantur in quibusdam temporibus, vt sunt qui ex spiritu flatuoso ortum habent. Immo quandoque mitigantur, ac eis sat est irrigationem aquæ calidæ superfudisse. verum illud remedium vnum minatur periculum, videlicet ne si forte causa doloris fuerit apostema, & existimatur esse ventosus flatus, cui si, in initio præsertim, superfundatur aqua calida, augebitur nocumentum. Immo fortasse nocebit etiam in flatuoso, cum nequiuerit flatum dissoluere, & expansio quantitatis eius inde augebitur. Fomentationes etiam quæ calefaciunt, ventositatem curant: & inter huiusmodi medicamina præstantius est quod exiccat, vt milium: nisi forte illud membrum id non sustinuerit, vt oculus, qui quidem impositione pannorum calidorum calefit. fiunt adhuc fomenta oleo calefacto. Validius præterea fomentum est, si farina erui ex aceto coquatur, & exiccetur, deinde fiat ex ea fomentum. Ad

id

id vero inferius remedium eſt furfuris decoctum. vapor præterea ſalis mordet. milij quidem eo præſtantior, verum debilior eſt. quandoque adhuc fit fomentum ex aqua per veſiculam, quod quidem & tutius & lenius eſt. Verum niſi animaduertatur, efficeret quod paulo ante dictum fuit. Ad hæc cucurbitulæ ignitæ ſunt huius generis, maximéque dolorem ſedant flatuoſum, & ſi iterum repetantur, tolletur penitus dolor. verum ex huiuſcemodi remedio poteſt accidere quod ſupra dictum eſt. ſedatur præterea dolor leui deambulatione ac diuturna, propterea quòd mollit. Itidem & tenues adipes ſatis noti, oleáque iam nobis enarrata. porrò ſuauis melodia muſicalis, præſertim quæ ſomnum induxerit. ac his quæ lætitiam afferunt vacare, validiſsimum mitigat dolorem.

CAPVT TRIGESIMVM *primum, fen quartæ.*



I duo ſimul concurrant morbi, ab eo incipiendum eſt qui habet vnum trium horum propriorum. primum eſt, vbi non poſsit ſecundus morbus curari niſi

curetur

curetur ipſemet: vt apoſtema & vlcus ſi coniugantur. primò enim apoſtema curabimus, donec mala intemperatura, quæ illi coniuncta eſt, auferatur. qua exiſtente non poterit vlcus curari: mox vlcus ipſum curabitur. ſecundum, vbi alter alterius adfectus fuerit cauſa, vt cum oppilatio & febris coëant. prius enim oppilationem, ſecundò febrẽ curabimus. nec febrem timebimus, vbi oppilationem his quæ calefaciunt aperire velimus. Phthiſim vero exiccantibus curabimus: febríſque in nulla erit conſideratione. quoniam impoſsibile eſt febrim tollere, eius cauſa adhuc relicta. cuius cauſæ curatio eſt ipſa exiccatio, quæ quidem febri officit. Tertium vero, vbi alter altero affectu periculoſior fuerit, vt ſi febris continens, quæ ſynochus nominatur, coniungatur reſolutioni, quam paralyſim vocant. tunc enim ſynochum extinguentibus remediis, ac venæ ſectione curabimus, paralyſimque deſpiciemus. At vbi morbus cum accidenti coierit, tunc morbum curare incipiemus, niſi accidens morbo præualuerit. tunc enim accidenti curam adhibebimus. morbum vero non conſiderabimus, vt in vehementiſsimo ac difficili inteſtini coli dolore, vbi quidem propinamus quæ ſtupefa-
ciunt,

ciunt, quanuis per ſe colo noceant. Itidẽ quandoque poſtponimus ſanguinis emiſsionem, quanuis eſſet conueniens, propterea quia adeſt imbecillitas ventriculi, aut præceſſerit alui deiectio, vel nauſea præſens fuerit: & forte non tardabimus, immo venam ſecabimus: ſed cauſam ipſam totam omnino non abſcindemus, quemadmodum in morbo conuulſionis nolumus totum humorem diſcutere, immo de eo aliquid relinquimus, vt à conuulſiuo motu diſſoluatur, manente interim natiuo humido non diſſoluto. Hæc igitur ſumma breuium ſermonum noſtrorum artis Medicinæ, de vniuerſalibus regulis ſatis ſit. nunc vero ad eam partem operis noſtri, quæ de ſimplicibus medicamentis tractat, nos deo duce accingemus.

FINIS.

